

G. I.



1 7 6 1.

Et ex penult. Mic Saeh Feder.
comparantij 1769 die 25 Martij

N^o 136

B.Mr. O.
182.

731

Canones Ecclesiarum

Varad. p. Abi. Szenczy Kertesz
1642.

D.

182.

116
117
118



Liber Bibliothecae Lau Ormori.
Comp. 31. 12. sign. 1 Barad
830.



P
illa satis
tuta: ne
ri ritus q
ducunt
ut his ab
tot asque
mus. N
lus exig
fiant, n
quam
decoru
quent
comit
fragio
servar

Rom
Fou
n

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
								

PRIMA CLASSIS,
DE
FIDE ORTHODOXA
TENENDA, ET EPISCO-
porum Ordinationibus & Of-
ficiis.

CANON I.

De Fide Orthodoxa firmiter tenenda.

Primum omnium, credimus & confitemur: DEUM verum eum esse, qui à sanctis olim Prophetis & Apostolis agnitus, prædicatus ac religiose adoratus, in cujus quidem nomine omnes Christiani baptizati sumus, nempe Patrem, Filium, & Spiritum S. unum quidem natura Deitatis æternæ, majestate, gloria, operationibus & cultu; sed tribus hypostasibus, earumque proprietatibus vere distinctum, prout Symbolum Apostolicum, & sancti Athanasii, Nicænæque Synodi, fidem Catholicam, non solum de sancta Trinitate, verum & de cæteris Christianæ religionis capitibus plane exponunt.

Quisquis igitur alium ab hoc Deum in Ecclesia annunciare, & contrariam Catholicæ, quæ in prætactis Symbolis proposita & expli-

P R Æ F A T I O.

Nulla satis firma est, nisi certis legibus con-
 tuta: nec sine statâ quadam forma serva-
 ri ritus quispiam potest. Huc ergo quæ con-
 ducunt leges, tantum abest ut damnemus,
 ut his ablatiis, dissolvi suis nervis Ecclesias,
 totasque deformari ac dissipari contenda-
 mus. Neque enim haberi potest quod Pau-
 lus exigit, ut decenter omnia & ordine
 fiant, nisi additis observationibus, tan-
 quam vinculis quibusdam, ordo ipse &
 decorum consistat. His de causis se-
 quentes Canones conscripsimus, &
 communi Ecclesiarum nostrarum suf-
 fragio confirmavimus, ac seriò ob-
 servari decrevimus.


*Kon a jo mi Titulecs
 Foder Mikal' Urani*

nevitcu

atanyossan Feherde

PRIMA

Kaposvaria



PRIMA CLASSIS,
 DE
 FIDE ORTHODOXA
 TENENDA, ET EPISCO-
 porum Ordinationibus & Of-
 ficiis.

CANON I.

De Fide Orthodoxa firmiter tenenda.



Rimum omnium, credimus & confitemur: DEUM verum eum esse, qui à sanctis olim Prophe- tis & Apostolis agnitus, prædica- tus ac religiose adoratus, in cujus quidem no- mine omnes Christiani baptizati sumus, nem- pe Patrem, Filium, & Spiritum S. unum qui- dem natura Deitatis æternæ, majestare, gloria, operationibus & cultu; sed tribus hypostasi- bus, earumque proprietatibus vere distinctum, prout Symbolum Apostolicum, & sancti A- thanasii, Nicænæque Synodi, fidem Catholi- cam, non solum de sancta Trinitate, verum & de cæteris Christianæ religionis capitibus pla- ne exponunt.

Quisquis igitur alium ab hoc Deum in Ec- clesia annunciare, & contrariam Catholicæ, quæ in prætactis Symbolis proposita & expli-

cata est, fidem contumaciter profiteri præsumserit, eum jam olim anathematizatum judicamus ab Apostolo Paulo; dicente: *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Gal. i. 8.

SYMBOLUM Apostolicum, cujus auctores ipsos Apostolos fuisse credimus, hujusmodi est: *Credo in Deum Patrem, omnipotentem, creatorem cæli & terræ, &c.*

SYMBOLUM vero sancti Athanasii hujusmodi est: *Quicumq; vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem: quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absq; dubio in æternum peribit. Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur: neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Sed Patris & Filii & Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus. Et tamen non tres æterni, sed unus æternus. Sicut non tres increati, nec tres immensi: Sed unus increatus & unus immensus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus: Et tamen non tres omnipotentes, sed*

sed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: Et tamen non tres Dii sunt: Sed unus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus: Et tamen non tres Domini: sed unus est Dominus. Quia sicut sigillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: Ita tres Deos aut tres Dominos dicere, catholica religione prohibemur. Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus: sed procedens. Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius non tres Filii: unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti. Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus. Sed totæ tres personæ, coæternæ sibi sunt, & coæquales. Ita, ut per omnia, sicut jam supra dictum est, & Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate venerenda sit. Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat. Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus & homo est. Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, & homo ex substantia matris in sæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo ex animarationali, & humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre

8 P R I M A C L A S S I S

secundum humanitatem. Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro, unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Qui passus est pro nostra salute: descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis: Ascendit ad cælos: sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare vivos & mortuos. Ad cuius adventum omnes homines resurgere debent cum corporibus suis. Et reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum. Hæc est fides Catholica, quã nisi quisq; fideliter firmiterq; crediderit, salvus esse non poterit.

F I D E S Nicænæ Synodi sic legitur: Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum, ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri. per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine: & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepul-

CANONUM ECCLES. 9

sepultus est: & resurrexit tertia die secundum scripturas: & ascendit ad cœlos: sedet ad dextram Patris: & iterum venturus est in gloria, iudicare vivos & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum. Dicentes autem: erat quando non erat, aut non erat, antequam fieret, & quia ex non extantibus factus est, aut ex altera substantia, vel essentia: dicentes esse aut creatum, aut convertibilem Filium DEI, hos tales anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

CAN. II.

De Ordine Ecclesiastico.

CUM Apostolus Paulus certos numeret gradus eorum, qui regere & gubernare tenentur Ecclesias, Et ipse, inquit, dedit alios *A-Eph. 4.* apostolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores, alios Doctores ad institutionem sanctorum, in opus administrationis, in ædificationem corporis Christi, &c. Ac idem Apostolus alibi Episcoporum & Presbyterorum *1. Tim. 3. Tit. 1.* meminerit. Nos quoq; in Ecclesiis nostris hos ordines & gradus ita agnoscimus, ut certos habeamus Episcopos, Presbyteros item eminenter sic dictos, seu Seniores, qui cæteros DEI Ministros & Ecclesiarum Pastores, scripturæ phrasi sic vocatos, certis legibus regere debeant.

CAN. III.

Qualis eligendus in Episcopum.

Cujusmodi virtutes præquirantur in eo, qui in Episcopum eligendus est, earum .1. *Tim.* 3. specialiter meminit Apostolus, *Oportet, in- v. 2. quiens, Episcopum irreprehensibilem esse, unius u- Tit. 1. 6. xoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, &c.* quorum, inquit Calvinus, omnium summa huc redit: non esse eligendos nisi qui sanæ sint doctrinæ, & sanctæ vitæ, nec aliquo vitio notabiles, quod & illis adimat autoritatem, & ministerio ignominiam afferat. Ac in hujusmodi quidem constitutionibus Ecclesiasticis approbamus consensum veterum Conciliorum (salva tamen orthodoxæ fidei nostræ veritate) quorum Canones sic legimus, ut editos invenimus, sed in iis multa vocabula nobis inusitata, qualia sunt: Clericus, Laicus, Pontifex, Sacerdos, metropolitanus, &c. saltem patienter toleramus, in nostris verò Ecclesiis ea usurpare nolumus, contenti sacre scripturæ phrasibus usitatissimis.

Placet in primis Conc. Carthagin. 4. Can. 1. qui sic loquitur: Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docilis, si moribus sit temperatus, si vita castus, si sobrius, si semper suis negociis cavens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si le-

e Domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus exercitatus, & ante omnia, si fidei documenta verbis simplicibus asserat, i. Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, &c.

C A N. I V.

De modo eligendi Episcopum.

Quod vero sanctam canonicamque Episcoporum electionem attinet, pio exemplo divorum Apostolorum (qui statuerunt duos Act. i. ex his viris, qui secum erant congregati in omni tempore, quo intravit & exiit inter eos Dominus Jesus, &c. Et orantes, dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus accipere sortem ministerii hujus & Apostolatus, de quo prevaricatus est Judas: & dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam) nos legitime in Concilio congregati, cum religioso timore jejunantes, ac Spiritum S. qui corda regat omnium, magna cum devotione invocantes & adorantes, duos ex Sympresbyteris nostris statuimus in medium, quibus loco sortium liberas voces seu suffragia damus, excludentes favorem, omnem personarum respectum, procul arcentes omnem æmulationem, irā, odium, discordias, contentiones, rixas, admittentes & populi cōsensum. Si verò pauciorum quorundam obstiterit contradictio, plurimum

Inst. l. 4. cap. 4. rium stabit sententia Sacerdotum, secundum Canonem 6. Concil. Nicæni; sic & Calvinus refert: Veterum hanc fuisse sententiam, ut is eligatur, quem Clerus & plebs, aut major numerus postulaverit.

C A N. V.

De jure populi in eligendis Ecclesiasticis.

Act. 6. P Opulum seu seculares etiam admittendos esse in electionem Ecclesiasticorum, patet ex Actis Apostolorum: Nam convocantes duodecem multitudinem discipulorum, dixerunt: Considerate fratres viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus (ministerii scilicet) & placuit sermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum, &c. hos statuerunt ante conspectum Apostolorum.

Approbamus & hoc loco consentientes veterum Conciliorum Canones: Cujusmodi est Antiocheni Conc. Can. 23: Episcopo non licet pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ proveniat: quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esto hujuscemodi constitutum: servet autem jus Ecclesiasticum id continens; oportere non aliter fieri, nisi cum Synodo & judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent, qui dignus extiterit, promovere.

Aurelianen. Conc. V. Can. 4. 5. sic leguntur: juxta quod antiqui Canones decreverunt: Nullus invitus detur Episcopus, sed nec per oppressionem potentium personarum ad consensum faciendum, cives, aut Clerici, quod dici nefas est, inclinentur. Quod si factum fuerit, ipse Episcopus, qui magis per violentiam, quam per decretum legitimum ordinatur, ab incepto Pontificatus honore deponatur in perpetuum. Item; Nulli viventi Episcopo alius superponatur Episcopus, nisi forsitan in ejus loco, quem culpa capitalis dejecerit.

Refert quidem Theodoretus lib. 4. c. 20. Petrum ab Athanasio Successorem nominatum, sed continuo adjungit: Sacerdotalem ordinem ratum id habuisse, Magistratum & primores, populumque universum sua acclamatione approbasse.

C A N. VI.

Episcopus ordinandus Canones agnoscat.

HOc & olim constitutum fuit in Conc. Carthag. 3. Can. 3. qui sic legitur: Placuit ut ordinandis Episcopis, vel Clericis, prius ab Ordinadoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse poeniteat.

*Quod Episcopus ordinandus jurare
teneatur.*

EPiscopus sic ab ordine Ecclesiastico & populi suffragio legitime electus, in ordinatione sui, sumto Bibliorum codice, & Confessione Helvetica, Canonibusque Ecclesiasticis, jurisjurandi sacramento in sancta Synodo, genibus flexis, clara voce prolato obligetur, & firmiter obstringatur, ad regendas fideliter inspectioni suæ concreditas Ecclesias, ad fidem item Catholicam sincera cordis devotione custodiendam, ad leges etiam Ecclesiasticas firmiter & fideliter observandas, ad vitam denique suam piè & sine scandalo Ecclesiæ instituendam.

Approbamus hic Toletani Conc. xi. Can. 10. qui sic legitur: Omnes Pontifices, Rectoresque Ecclesiarum, tempore, quo ordinandi sunt, sub cautione promittant, ut fidem Catholicam sincera cordis devotione custodientes, justè & piè vivere debeant, atque obsequii reverentiam præeminenti sibi dependant.

De formula juramenti usurpanda.

EGo, Ministrorum DEI & Ecclesiarum Helveticam Confessionem amplectentium, legitime electus Episcopus, testor coram DEO.

& Christo Jesu, & electis Angelis, & in præsentia sanctæ hujus Synodi, quod in functione Episcopatus mei, nullam aliam doctrinam vel publicè vel privatim docturus sim, præter eam, quæ in Canonicis libris sanctorum Apostolorum & Prophetarum continetur: quam quidem doctrinam, ac fidem orthodoxam, ut & Domini Seniores, cæterique Ecclesiastici, meæ inspectioni subjecti doceant, diligenter ac seriò invigilaturus sim. Item, quod Ecclesiis nostris, earumque Inspectoribus præesse & prodesse velim; quod Canones Ecclesiasticos & ipse observare, & ab aliis observari fideliter procuraturus sim; quod denique vitam meam piè instituire pro viribus contendam, quæ omnia, quod pro gratia divinitus mihi data, secundum imbecilitatem naturæ humanæ quantum fieri poterit, diligenter facere velim, sic me DEUS adjuvet Trinus & Unus, sic mihi sit propitius Pater, Filius & Spiritus S. Amen.

C A N. IX.

De ritu Consecrationis.

CUM in ordinatione sancti Matthiæ, Apostoli, & segregatione Pauli Barnabæque, *Act. 1.*
 Prophetæ & Doctores plures adfuerint, qui *13.*
 jejunantes orantesque, manuum impositione consecrarunt eos: Nos quoque plurium Episcoporum, quando præsentibus esse possunt, be-
 ne-

nedictiones maxime approbamus, secundum
 Canones antiquos. Quoniam vero de Ti-
 2. Tim. motheo scriptum est: *Noli negligere gratiam*
 4. v. 14. *quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum*
impositione manuum Presbyterii; &, Resuscites
gratiam Dei, quæ est in te per impositionem ma-
nuum mearum. Ideo si necessitas ita postulet,
 hoc exemplo inducti, contenti erimus paucio-
 rum vel unius Episcopi, & dominorum Pres-
 byterorum, seu Seniorum ordinationibus &
 consecrationibus benedictionibusque, quas si-
 gillatim summa cum devotione, ritu veterum
 cum impositione manuum proferant.

C A N. X.

De precipuis Episcopi functionibus.

ORdinatus sic, & consecratus Episcopus,
 sciat imprimis non otium, sed bonum o-
 pus se consecutum esse: ideo ex officio suo te-
 2. Tim. 3. neatur Ecclesiam, cui præfectus est, puro Dei
 2. 1. verbo & Sacramentis pascere, peccantes in di-
 2. Pet. 5. sciplina Ecclesiastica tenere, vitæ suæ innocen-
 tia omnibus præluere: aliis item Episcopatu
 suo subjectis Ecclesiis non somnolenter invigi-
 lare, ut in eis orthodoxæ fidei veritas & synce-
 ritas permaneant; ne schismata & hæresis o-
 riantur, ut Sym-Presbyterii nostri sedulo offi-
 cium suum faciant ac irreprehensibiliter vi-
 vant, ut populus in doctrina & moribus pro-
 ficiat.

ficiat: Visitaciones item extraordinarias interdum in sua persona instituire, ordinarias autem, annuatim dominis Senioribus injungere, in visitationibus autem, debet inquirere in doctrinam & mores tam Ministrorum, quam auditorum, si proficiant in dogmatibus fidei, si dignam Evangelio vitam ducant, si Templorum, Parochiarum, & Scholarum ædificandarum, vel restaurandarum curam habeant, si suis Pastoribus promissam mercedem solvant, si Templorum & Parochiarum proventus cives, vel Domini terrestres percipiant, si terras arabiles, prata, vineas, molendinas, ab antiquo Ecclesiis destinatas pro se usurpent, pro quibus restituendis instare, ac sedulo operam navare debet. Teneatur insuper Episcopus Ministros Ecclesiarum, & Rectores Scholarum ab injuriis, secundum Canones præscriptos, vindicare, conformitatem rituum & ceremoniarum præcipere, Candidatis sacri Ministerii, vocatis legitime, sacrum ordinem, communi cum dominis Senioribus opera, conferre, idoneis per privatum examen inventis personis vocatis & juratis, ad tempus usque futuræ Synodi, verbum prædicandi licentiam dare: Causas oblatas cum sancto Presbyterio simul dijudicare: irregulariter viventes, vel ab officio aliquamdiu suspendere; vel penitus deponere, sceleratos, primum exauthoratos, se-

18 P R I M A C L A S S I S

cularibus Magistratibus puniendos tradere, & cætera hujusmodi, ut decenter & ordine fiant omnia, diligenter procurare, ac sollicitudinem omnium Ecclesiarum suis finibus conclusarum habere.

C A N. X I.

Episcopus solus ordinare quenquam non præsumat.

P Atres Concilii Carthaginen. 4. Canon. 22. hac de causa scriptum reliquerunt, qui sic legitur: Ut Episcopus sine Concilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita ut civium assensum, & conniventiam, & testimonium quærat.

C A N. X I I.

Quod Episcopus in aliena provincia non debeat ordinare.

C Um certis limitibus diœceses sint distinctæ, quilibet Episcoporum maneat in suis terminis, ac sibi subjectos ordinet, nec in alienam messem falcem suam immittat: qua quidem de causa Antiocheni Conc. Can. 13. sic legitur: Nullus Episcopus, ex alia provincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem Ministerii aliquos in Ecclesiis ordinare, licet consensum videantur præbere nonnulli, nisi literis tam Metropolitanæ (talem Episcopum nos non agnoscimus) quam cæterorum,

qui

CANONUM ECCLES. 19

qui cum eo sunt, Episcoporum rogatus adveniat, & sic ad actionem ordinationis accedat. Si vero nullo vocante, inordinato more deproperet super aliquibus ordinationibus & Ecclesiasticis negotiis, ad eum non pertinentibus componendis, irrita quidem quæ ab eo geruntur existant: ipse vero incompositi motus sui & irrationabilis audaciæ subeat ultionem, ex hoc jam damnatus à sancto Concilio.

CAN. XIII.

Non licere Episcopo alii subiectum in sua provincia ordinare.

PLacuit nobis hac de causa constitutus Can. 19. Sard. Conc. qui sic legitur: Osius Episcopus dixit: & hoc universi constituimus, ut quicumque ex alia Parochia voluerit alienum Ministrum ordinare, sine consensu & voluntate ejus Episcopi non sit rata ordinatio ejus: quicumque autem hoc usurpaverit, à fratribus & Coëpiscopis nostris & admoneri debet & corrigi.

CAN. XIV.

Ne Episcopus alterius plebes usurpet.

PLacet nobis hac de re editus Can. 10. Conc. Carth. 1. Qui sic legitur: Felix Episcopus Bajanenſis dixit: Nullus debet collegæ suo facere injuriam: multi enim transcendent sua, & usurpant aliena ipsis invitis. Gratus Episco-

I. Tim.

6.

pus dixit: Avaritiæ cupiditas radicem omnium malorum esse, nemo qui dubitet; proinde inhibendum est, ne alienos fines usurpet, aut transcendat litem suam Collegam suum, aut usurpet alterius lebes sine eius petitu, quia inde cætera omnia generantur. Universi dixerunt: placet.

C A N. XV.

De Episcopis vacantibus.

DE iis Antiocheni Conc. Can. 16. scriptus est in hunc modum: Si quis Episcopus vacans, in Ecclesiam vacantem profiliat, sedemque pervadat, absque integro perfectoque Concilio, hic abjiciatur, necesse est, etsi cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit.

C A N. XVI.

De Episcopo, qui per pecuniam ordinationem facit.

Magni illius Concilii Chalcedonen. Can. 2. hac de re editus, nostræ sanctæ Congregationi placuit hac in parte: Si quis Episcopus per pecuniam ordinationem fecerit, & precio redegerit Spiritus sancti gratiam, quæ vendi non potest, ordinaveritque per pecuniam Presbyterum, aut Diaconum, &c. Qui hoc attentare probatus fuerit, proprii gradus periculo subiacebit, & qui ordinatus est, nihil ex hac ordi-

ordinatione, vel promotione, quæ est pro negotiatione facta, proficiat; sed sit alienus à dignitate, vel sollicitudine, quam pecuniis acquisivit. Quod autem Ordinati nostri tempore ordinationis expendunt, non precium est sacri ordinis accepti, sed spontanea quædam & gratuita oblatio in usum Ecclesiæ accepta, quæ reuocari non debet.

CAN. XVII.

Quod utilitatis non propria, sed necessitatis Ecclesiæ causa, Episcopus sedem mutare possit.

Hæc constitutio est magni illius Conc. Carthagin. 4. cujus Canon 27. sic legitur: Ut Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis Clericus, sane sic utilitas futurum poposcerit, decreto pro eo Clericorum & Laicorum Episcopis porrecto, in præsentia Synodi transferatur, nihilominus alio in ejus loco Episcopo subrogato. Consonat Sardian. Concilii Can. 1. qui sic legitur: Osius Episcopus dixit: Non minus mala consuetudo, quam perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat Episcopo de sua civitate in aliam transire civitatem, est enim causa hæc hoc facere tentant, cum nullus in hac regione sit Episcopus, qui de majore civitate

ad minorem transfret: unde apparet avaritiæ ardore eos inflammari & ambitioni servire, & ut dominationem agant. Si omnibus placet, hujusmodi pernicies sævius & austerius vindicetur, ut nec laicam communionem habeat qui talis est. Responderunt, universi: Placet.

C A N. XVIII.

Ut Episcopus causas majores audiat presentibus Sym-Presbyteris.

Concilii Carth. 4. Can. 23. hac de re sic legitur: ut Episcopus nullius causam audiat, absque presentia Clericorum suorum: alioqui irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum presentia confirmetur: Consensus tamen Dominorum Seniorum per literas significatus, ratificabit sententiam Episcopi.

C A N. XIX.

De injusta damnatione Episcopi.

Ejusdem Concilii Carth. 4. Can. 28. hac de causa sic legitur: irritam esse injustam Episcoporum damnationem, & idcirco à Synodo retractandam, datur ergo appellatio ab Episcopi sententia ad Synodum.

C A N. XX.

Episcopus solus Presbyterium non deponat.

Placuit hoc etiam firmiter statuendum esse, ne Episcopus majorem, quam ei sanctum Presby-

CANONUM ECCLES. 23

Presbyterium contulit, authoritatem usurpet, ideo Hispalen. Conc. 2. Can 6. ei præscribimus, qui sic legitur: Decrevimus Synodali sententia, ut nullus nostrum, sine Concilii examine, deicere quemlibet Presbyterum vel Diaconum audeat, &c.

CAN. XXI.

Episcopus dissidentes concordare compellat.

Salubris est hæc etiam constitutio Concilii Carth. 4. cujus Can. 26. sic legitur: Studendum esse Episcopis, ut dissidentes fratres, sive Clericos, sive Laicos ad pacem magis, quam ad iudicium cohortentur. Placet eisdem Conc. Can. 25. Episcopos dissidentes, si non timor Dei, Synodus reconciliet. Item Can. 59. Discordantes Clericos Episcopus, vel ratione vel potestate ad concordiam trahat inobedientes Synodus per audientiam damnet.

CAN. XXII.

De Episcopo negligente monendo vel deponendo.

Habemus hujus rei exempla, ipsos Apostolos, Domini, imprimis Paulum, qui suum Timotheum sic monuisse legitur: Noli negligere gratiam, quæ in te est. Item: moneo te, resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum: Qui Petrum Apostolum non solum monuit, sed in faciem ei

restitit. *Gal. 2.* Ephesinos Episcopos sic exhortatus est: Attendite vobis & universo gregi. *Act. 20.* Similiter & Petrus suos Sym-Presbyteros: pascite, inquit, gregem DEI, qui in vobis est, non coactè, &c. Si vero Episcopus saepe monitus in eadem socordia perseveraverit cum detrimento magno multarum Ecclesiarum, deponitor. Simili sententiæ subjacebit, si adversus hæreses extirpandas insigniter negligens fuerit.

C A N. XXIII.

De Episcopo contumaci.

ANtiocheni Con. Can. 17. sic legitur hac de causa: Si quis Episcopus, per manus impositionem Episcopatum acceperit, & præfese populo constitutus, ministerium subire neglexerit, nec acquieverit ire ad Ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communionem privari, donec susceperit coactus officium, aut certe de eo aliquid, integra decreverit ejusdem provinciæ Synodus Sacerdotum.

C A N. XXIV.

De Episcopis, qui excommunicatum alterius suscipiunt.

Patres Arausici Conc. i. Can. 10. sanxerunt in reatum venire Episcopum, qui admonitus de excommunicatione cujusque, sine reconciliatione ejus, qui eum excommunicavit, ei communicare præsumserit, &c. C A N.

CAN. XXV.

De Episcopo suspensō.

IN hoc casu approbamus Arelaten. Conc. 2.

Can. 30. qui sic legitur: Secundum instituta Seniorum, si à communione Sacerdotali fuerit authoritate suspensus Episcopus, hunc non solum à Clericorum, sed etiam à totius populi colloquio aut convivio placuit excludi, donec resipiscens ad sanitatem redire festinet.

CAN. XXVI.


*De discrepantibus judiciis in causa
Episcopi.*

SI quis Episcopus in causam attractus, de certis criminibus judicetur, & contingat de eo iudices ordinarios seu comprovinciales diffidere, cum iudicatus Episcopus ab aliis, ut innocens, absolvendus, ab aliis autem, ut reus, merito, condemnandus creditur, pro huiusmodi ambiguitate tollenda ex alia provincia extraordinarii iudices convocabuntur, ut per eos simul, & per comprovinciales, quod iustum fuerit, uniformiter judicari possit. Si vero Iudices comprovinciales cuncti, consonanter, in causam attractum absolvendum vel condemnandum iudicaverint, concursu eorum firma manebit sententia, nec provocabitur ad externos.

Episcopus Clericos conversos sub juramento recipiat.

NE in recipiendis conversis, vel Episcopus decipiatur, vel sanctum nostrum Presbyterium ludificetur: qui per gratiam Redemptoris nostri, in gremium Ecclesiæ nostræ redire cupiunt, non solum examen sustinere, sed & Sacramentum juramenti, viva voce, & scripto coram Episcopo edere debebunt, idque in hanc vel similem formam: Ego, postquam diutina mecum deliberatione pertractans, divina gratia adjutus, ac supernæ illustrationis lumine illustratus, errorum laqueos, quibus hactenus constrictus tenebar, certo cognovi: nunc prona & spontanea voluntate illos damnans, ac repudians, ad unitatem Ecclesiæ orthodoxæ Helviticæ confessionem amplectentis revertor. Ne vero non pura, sed simulata mente reversus existimer: spondeo sub ordinis mei casu, & anathematis obligatione, atque promitto, nec simplici verbo promitto, sed juro per sacrosanctam Trinitatem, me in unitate Ecclesiæ vestræ semper mansurum, nec ad pristinos errores, quos nunc voce, & semper scripto damno, reversurum. Quod si (quod absit) ab hac me unitate divisero, perjurii reatum incurrans, pœnæ condignæ obligatus

gatus cum auctore schismatis habeam in futuro seculo portionem. Hanc autem cartulam in maiorem fidem professionis, promissionisque meæ, manu propria scriptam & sigillo proprio munitam, Tibi, Venerande Domine Episcopo, tradidi; Anno & die in tali loco, Ego huic confessioni, promissionique meæ, manu propria subscripsi.



SECUNDA CLASSIS
 CANONUM ECCLE-
 SIASTICORUM;
 DE
 SENIORIBUS
 CANON I.

De auctoritate D. D. Seniorum.

Quoniam in divinis literis passim, Presbyteri seu Seniores, Episcopi vocantur, hanc eis dignitatem, auctoritatem, & potestatem conferimus, ut quasi Senatores Patresque Ecclesiæ, ipsam consilio salubri, & legibus Ecclesiasticis, communi cum Episcopo opera & studio regere gubernareque debeant. Nam Apostolus Ephesinos Presbyteros Episcopos nominavit; *Attendite, inquit, v. 17. & vobis & universo gregi in quo vos Spiritus sanctus 28.*
 posuit

posuit Episcopos regere vel pascere Ecclesiam DEI.

- Tit. 1. v. Idem Presbyteros à Tito constituendos Episcopi titulo exornavit, dicens: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, si quis sine crimine est, &c. Oportet enim Episcopum sine crimine esse.* Idem, manuum impositionis potestatem Presbyteris tribuit, cum hæc suo Timotheo scripsit: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Idem: *Qui bene præsent, inquit, Presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Et ipsi Apostoli Petrus & Johannes Presbyteros seu Seniores sese appellaverunt. Merito hic & sancti Hieronymi sententia audienda est, qui, antequam, inquit, Diaboli instinctu studia in religione fierent, communi Presbyterorum Concilio Ecclesiæ gubernabantur: postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat, non Christi, decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Et sicut Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos: ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere.

CAN. II.

De Senioribus solemniter consecrandis.

Cum idcirco hæc tanta sit dignitas, auctoritas & potestas Venerabilium Seniorum, ut pluribus singuli Ecclesiis regendis sint præpositi, à sancta Synodo eos quoque pariter sicut Episcopum, canonicè electos, vocatos, & ordinatos juratosque oportet præfici certis Diœcesibus legitimè gubernandis.

CAN. III.

Unusquisque Seniorum sua sorte contentus sit, nec quenquã solus ordinet.

Æquum autem est, & concordie alendæ multum utile, ut unusquisque D. Seniorum, solas suæ inspectioni subjectas Ecclesias gubernet, earumque cura & moderamine contentus sit, nec terminum suæ diœceseos, cum injuria alterius transgrediatur: nec quenquam per se, sine consensu Episcopi superioris in particulari aliquo conventu ordinare præsumat.

CAN. IV.

Ne Seniores contempto Episcopo seorsim sese colligant.

Non ignoramus concordie bonum, & discordie malum maximum, juxta verissimas vulgo notas sententias: *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ magnæ dilabuntur.* Et, *Omne Matti regnum divisum contra se, desolabitur.* Et, *Omnis 12. v. 2. civitas,*

civitas, vel domus, divisa cōtra se, nō stabit. Quamobrem definivimus, ut quilibet D. Seniorum suæ jurisdictioni subjectos DEI Ministros, in particularem quidem Synodum, ad causas aliquas discutiendas cogere sua autoritate possit, sed ab universali Congregatione abscindere minime præsumat, ut schismaticus. Hac de re Antiocheni Conc. Can. 5. sic legitur: Si quis Presbyter aut Diaconus Episcopum proprium contemnens, se ab Ecclesia sequestraverit, & seorsim colligans altare constituerit, & commonenti Episcopo non acquieverit, nec consentire vel obedire voluerit, semel & iterum convocanti, hic damnetur omni modo, nec ultra remedium consequatur, quia suam recipere non potest dignitatem: quod si Ecclesiam conturbare, & sollicitare persistat, tanquam feditiosus, per potestates exteras opprimatur.

C A N. V.

Quod D. Seniores juratis licentiam prædicandi concedant.

ERuditatis in verbo Domini, & morum integritate conspicuis viris, vocatis ab Ecclesiis legitime, D. Seniores propria autoritate, inconsulto etiam Superintendente, ad Synodi usque tempus, licentiam prædicandi dare possunt, sub reversali, urgente aliqua necessitate: iis tamen juratis prius, & privato examine probatis.

C A N. VI.

Quod vacantibus Ecclesiis Pastores praeficere debeant Seniores.

Quilibet D. Seniorum, in suis dioecesibus existentium Ecclesiarum curam habentes maximam, eas diutius vacare, cum pietatis & cultus divini detrimento, minimè patientur: verùm de idoneis Ministris solliciti, sua propria autoritate & potestate oppidatim eos constituere & collocare debent, qui tamen prioribus legitimè succedant.

C A N. VII.

Quod, necessitate sic postulante, de una Ecclesia in aliam Minister transferri possit per D. Seniore.

EVenit interdum, ut Ecclesia suo Pastore orbata, graviter periclitetur, nisi maturè ei succurratur. Cum in tali necessitate mora longa sit periculosissima, de minoribus in majores Ecclesias Ministros transplantare studeant D. Seniores; sine turba nihilominus, nec invito, sed placidè gratificante populo, & Episcopo, si fieri potest, conscio.

C A N. VIII.

De judicandi potestate D. Seniorum.

IN Conventibus suis particularibus, minores causas, & controversias inter Concionatores & Auditores eorum subortas, vel inter
Com-

Compresbyteros ortas & motas, vel inter novos aut veteres conjuges natas lites, D. Seniores sua authoritate, secundum Canones definire, dijudicare, & componere debent, ne pluribus, ac sæpe minoris momenti causis & casibus generalis Synodus gravetur: attamen inter conjuges divortium faciendi authoritas relinquatur sanctæ Synodo, (annis singulis convenienti, si divinitus permissum fuerit) nisi necessitas aliqua ingens generalem Synodum expectare prohibuerit.

CAN. IX.

De Appellationibus.

SI quis forte contentiosus, aut inflatus sui Senioris iudicium contempserit, præiudicio ipse laborans, dabitur quidem ei Apellatio vel provocatio ad Episcopum, ab eo autem ad Synodum generalem, verum ubi iustum D. Senioris & Episcopi iudicium compertum fuerit, provocans ille, ac superbe appellans, humiliandus erit pro qualitate delicti, ut suo malo discat iusta iudicia non contemnere, ac eorum authoritatem non enervare.

CAN. X.

Quod D. Seniores suos collaterales Iudices habere debeant.

NOtum est ex sacris, Synedrion Judæorum olim constituisse ex pluribus Senioribus:

nos vero in senatu nostro Ecclesiastico, contenti erimus viginti viris, juris Ecclesiastici peritiam, per Dei gratiam consecutis, qui ad sententias ordine certo proferendas promti ac parati sunt. Singuli igitur D. Seniores per quinque dioceses desiti, eligant sibi ternos collaterales ex iis quos subjectos habent, qui omnes singulari studio, ac cura incumbant Canonico juri discendo, ut omnes controversiæ, tum secularium, tum Ecclesiasticorum in Synodis agitatae, facillime & legitime ab isto senatu decendantur, cæteris omnibus suffragantibus, consentientibus, ac iudicium approbantibus.

CAN. XI.

De ordine servando in sententiis proferendis.

Cum causa aliqua coram senatu isto Ecclesiastico proponitur, quia simul & semel omnes quid sentiant in animis suis, proferre non possunt, placet hunc ordinem servari, citra omne præjudicium inæqualis dignitatis & authoritatis, ut in definitionibus & determinationibus, primi suas proferant sententias R. D. Seniores cum suis colleteralibus seu suffraganeis. Deinde collectis eorum omnium sententiis, suam Episcopus proferet, idque in negotiis & controversiis magni momenti; in

C causis

causis autem facilioribus dijudicandis, is decisivam pronuntiabit sententiam, qui ab Episcopo monitus fuerit. Similiter docet Cal-
Lib. 4. vinus, inquiens: quas partes habet Consul in
Inst. c. 4. Senatu, ut referat de negotiis, sententias fe-
sect. 2. ret, consulendo, monendo, hortando, aliis præeat, autoritate sua totam actionem regat, & quod decretum communi consilio fuerit exsequatur, id muneris sustinebit Episcopus in Presbyterorum cœtu.

C A N. XII.

De visitationibus Seniorum.


UT supra data est Episcopo autoritas visitationis extraordinariæ, in gravioribus scilicet, & raro contingentibus causis: ita ordinarias & annuas visitationes generalem nostram Synodum præcedentes D. Seniores instituere tenentur eadem forma, quæ Episcopo præscripta est: ideoque si quis eorum, quam diœcesin perlustrare neglexerit, nisi forte morbo impeditus, (in quo casu aliquem suæ jurisdictioni subjectum emittere potest) causam suæ negligentia reddere tenebitur sancto Presbyterio.

C A N. XIII.

Quomodo accusationes audiant Seniores.

IN visitationibus suis, accusationes adversus Dei Ministros, non aliter recipiant D. Seniores,

res, quam sub duobus aut tribus testibus, juxta Apostolum. Pœnam vero falso accusantes, & in probatione deficientes, talem legimus in Conc. Brac. 2. Can. 8. Si quis aliquem Clericorum macula fornicationis impetit, secundum præceptum Pauli Apostoli, duo vel tria testimonia requirantur ab illo: quod si non potuerit datis testimoniis approbare quod dixit, excommunicationem accusati accusator accipiat. Nos verò opem magistratus implorabimus, ut politicè talis calumniator puniatur, ubi disciplinam illam Ecclesiasticam exsequi non poterimus.



TERTIA CLASSIS,
DE
PRESBYTERIS COMMUNITER sic dictis, seu Pastoribus Ecclesiarum.

CAN. I.

De Vocatione Ministrorum DEI.

Nemo presumat temere involare, ad suspiciendum sacrosanctum Ministerii Ecclesiastici munus, sed expectet vocationem internam à Deo (quæ bonum est testimonium cordis nostri, quod neq; ambitio-

ne, neque avaritia, neque ulla alia cupiditate, sed sincero Dei timore, & ædificandæ Ecclesiæ studio oblatum munus suscipiamus) externam verò ab Ecclesia, ut S. Matthias, Titus, Timotheus; ne non missus currere videatur. Quia verò nonnulli sub specie humilitatis pietatisque, publicè prædicandi authoritatem sibi vendicant, cum Apostolus dicat, Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Omnes, quicumque prohibiti, vel non missi, præter authoritatem aut licentiam, ab Episcopo aut Senioribus acceptam, publicè prædicandi, & Sacramenta administrandi officium usurpare ausi fuerint, excommunicandi erunt; & nisi admoniti cessaverint, alia competenti pœna puniendi.

C A N. II.

De Ordinationibus Ministrorum.

Vocati ad Ministerium Ecclesiasticum, non debent ullo pacto ministrare, vel in docendo, vel in administrandis Sacramentis, priusquam vel licentiati, vel in Synodo examinati ac ordinati fuerint ab Episcopo & Dominis Senioribus. Sic enim futura est eorum authoritas legitima.

C A N. III.

Qualiter licentia danda.

Vocatus aliquis ad functionem Ecclesiasticam, testimonium plebis vel per legatos, vel

vel per literas editum secum habeat, examenq; Episcopi, vel sui Senioris sustineat, ac eandem licentiam prædicandi, sed non Sacramenta administrandi, literis formatis concessam accipiat, ad Synodi usque tempus.

CAN. IV.

Quales ordinandi.

AD Ministerium Ecclesiasticum nemo debet ordinari, nisi qui mediocrem cognitionem Articulorum fidei orthodoxæ, secundum confessionem nostram Helveticam, habere probatus est in examine publico, præterquam testimonium plebis, vel Ministrorum de honesta sua conversatione, & moribus consecutus est; ne omnino rudes & ignari, infamesque ad sacrum ordinem promoti, majori potius dedecori, quam ornamento Ecclesiæ futuri sint. Concilii Carthag. 3. Can. 22. hac de re sic legitur; Nullus ordinetur Clericus non probatus vel Episcoporum examine, vel populi testimonio.

CAN. V.

Ordinandi Canones præcognoscant.

ID etiam regulare esse perspeximus decernendum, ut antequam sacrum ordinem aliqui consequantur Leges Ecclesiasticas, quibus obligari tenentur, ne, dum contra eas peccasse deprehenduntur, ignorantiam prætereant.

valeant. Qua de causa Aureliani Concilii IV. Can. 5. sic scriptum legimus: Parochiani Clerici, à Pontificibus suis necessaria sibi statuta Canonum legenda percipiant, ne ipsi, vel populi, quæ pro salute eorum decreta sunt, excusent postmodum ignorasse. Et Concil. Carthag. 3. Can. 3. sic legitur: Placuit, ut ordinandis Episcopis vel Clericis, prius ab ordinatoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse poeniteat.

CAN. VI.

Ordinandi officialem libellum habeant.

Oportet ordinandos Agendis instructos assumere Ministerii sacri dignitatem, ne tandem in praxi hallucinentur turpiter, cum Sacramentorum & officiorum divinorum derogamine. Quam quidem cautionem observantes Patres Toletani Concil. 4. Can. 25. sic statuerunt: Quando Presbyteri in Parochiis ordinantur, libellum officialem à suo Sacerdote accipiant, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi accedant, ne per ignorantiam etiam in ipsis divinis Sacramentis Christum offendant.

CAN. VII.

Ordinandi jurare tenent.

Jure meritoque sacramentum juramenti ab ordinandis exigit sanctum Presbyterium,

quo

quo Ministerii dignitatem consecuti officio fungantur magis fideliter, ac majori cum diligentia, memores quid Deo & Ecclesiæ, cum pia devotione promiserint. Qua in re nobis consenserunt jam olim Patres Toletani Conc. XI. Can. 10. Qui sic legitur: Omnes Pontifices, Rectoresque Ecclesiarum, tempore quo ordinandi sunt, sub cautione promittant, ut fidem Catholicam, sincera cordis devotione custodientes, justè & piè vivere debeant, atque obsequii reverentiam præminentibus dependant.

CAN. VIII.

De Forma Juramenti.

FORMAM Juramenti hanc vel simplicem usurpabimus. Ego N. N. juro coram Deo vivo, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & coram sanctis ejus Angelis, & in præsentia sanctæ hujus Synodi, quod in functione sacri hujus Ministerii, quod nunc à vobis servis Dei & Mysteriorum ejus Dispensatoribus fidelissimis, summa cum reverentia accipio: Solam fidem Catholicam, libris Canonicis Prophetarum ac Apostolorum comprehensam, secundum expositionem Helveticæ nostræ confessionis prædicaturus, Canones item Ecclesiasticos fideliter observaturus, Episcopo & Senioribus, tanquam Superioribus meis debitam obedientiam præstiturus, denique vitæ meæ sanctimonia vocationem hanc ornaturus, ac malis moribus ne-

minem scandalizaturus sim. Hæc omnia, quod pro gratia & viribus divinitus mihi datis efficere contendam. Sic me Deus adjuvet, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Amen.

C A N. IX.

De ritu ordinationis Ministrorum.

PRimitivæ Ecclesiæ Ceremonia patet ex sacris literis; sicut legitur Act. 13. Ministrantibus illis Domino & jejunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos; tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt eos. De iisdem Apostolis sic legitur Act. 14. v. 22. Et cum per manuum impositionem constituerent illos per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum jejunationibus &c. Similiter legitur I. Tim. 4. v. 14. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii. Eundem igitur ritum & nos observantes, sancimus, ut Episcopus, sive unus tantum, sive plures, dum adesse possint, & Domini Seniores successivè manibus suis, capitibus Ordinandorum impositis, consecrationis verba summa cum devotione proferant. Univerfa Ecclesia tunc jejunante, orante & psallente.

C A N. X.

De forma consecrationis seu benedictionis.

Hanc, vel similem formulam in consecrandis Ministris usurpare possimus: In Nomine Domini nostri Jesu Christi, qui olim Apostolos suos, donis Spiritus sancti instructos, misit in universum orbem terrarum, prædicare Evangelium, administrare Sacramenta, ac potestatem Clavium, seu disciplinam Ecclesiasticam exercere; in sancta hac Synodo, auctoritate sancti hujus Presbyterii, confero tibi potestatem annunciandi verbum Dei, administrandi Sacramenta ejus, & pœnitentes à peccatorum suorum vinculis absolvendi, impœnitentes verò ligandi. Deus Pater, per meritum Filii sui Jesu Christi, effundat de Spiritu suo in omnem carnem, ut prophetent Filii nostri. Ille Spiritus sanctus multiformem suam tibi largiatur gratiam, mentem tuam illuminet, cor tuum inflammet in agnitionem & amorem doctrinæ suæ cœlestis, deducat te in omnem veritatem ad gloriam sacrosancti sui nominis, & ædificationem Ecclesiæ suæ. Amen.

C A N. XI.

De literis Testimonialibus Ordinatorum.

Ordinati jam, & consecrati Ministris, debent habere literas testificatorias, Episcopi & Seniorum nominibus conscriptas, de collato

legitimè sacro Ordine, quibus Manus proprias Domini Ordinatores subjiciant, ac sigillum nostræ universitatis imprimi curent: quarum quidem literarum vigore, Ordinati Presbyteri, Ecclesiis commendatiores esse, ac majori cum authoritate eas regere possint. Vetus hæc est consuetudo, ut patet ex Conc. Milevit. Can. 14. qui sic legitur: Placuit, ut quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur, literas accipiant ab Ordinatoribus suis, manu eorum subscriptas, continentes annum & diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.

C A N. XII.

Quales arcendi à sacro Ordine.

Quicumque doctrinæ Christianæ crassa ignorantia laborant, non valentes alios docere, aut crimine aliquo sunt notabiles, de quibus dici non potest illud Domini: Vos estis lux mundi; nisi cum Matthæo Publicano, & Saulo Ecclesiam Dei persequente, resipiscentibus, ad Deum clementissimum per pœnitentiam conversi fuerint, indigni sacro ordine censentur; juxta regulam Pauli: Constituas per civitates Presbyteros, si quis sine crimine est: & Nic. Conc. 1. Can. 9. qui sic legitur: Si qui sine examinatione promoti Presbyteri sint, & postea examinati sunt confessi peccata sua, & cû confessi fuif-

Matt. 5.

c. 9.

Act. 9.

ffent, contra regulam venientes homines, nus eis temerè imposuerint, hos Ecclesiasti- ordo non recipit: in omnibus enim quod irreprensibile est, defendit Ecclesia sancta.

CAN. XIII.

Uxoris adultera Vir indignus sacro ordine.

Hanc regulam tulerunt Patres Neocæsariens. Conc. Can. 8. qui sic legitur: Si cuius Uxo- rem adulterium commisisse, cum esset Laicus, fuerit comprobatum, hic ad Ministerium Ec- clesiasticum admitti non potest: quod si in Clericatu jam constituto eo, adulteravit, dato repudio dimittere eam debet: si verò retinere ejus consortium velit, non potest suscepto Mi- nisterio perfrui.

CAN. XIV.

Nemo ordinandus sine titulo certa Ecclesie.

Vetus hæc est constitutio, ut patet ex Concil. Chal. cujus Can. 6. sic legitur: Neminem absolutè ordinari iubemus Præsbyterum, neq; Diaconum, nec quemlibet in Ecclesia ordina- tione constitutum, nisi manifestè in Ecclesia suæ civitatis, sive possessionis &c. hic, qui ordi- natur, mereatur ordinationis publicæ vocabu- lum: eos autem, qui absolutè ordinantur, de- crevit sancta Synodus, vacuam habere manus im-

44 TERTIA CLASSIS
impositionem; Et nullum tale factum valere
ad injuriam ipsius, qui eos ordinavit.

C A N. XV.

De Officiis, & diligentia magna Ministrorum.

Quoniam Spiritus sanctus maledictionem
intonat iis, qui opus Domini fraudu-
lenter faciunt, meminerint Pastores Ecclesia-
rum, sese non ad ignavum ocium, nec exter-
nam rusticationem, sed in messem & vineam
Domini evocatos esse; ideo magna diligentia
debent facere officium suum, hoc est, prædica-
re Evangelium, administrare Sacramenta: nec
solum Dominicalia semper, sed Prophetarum,
ac Apostolorum Scripta populo explicare co-
nentur, ut in melius quotidie proficiant, cre-
scant in doctrinæ cœlestis cognitione. Sic Pa-
tres Tolet. Conc. IV. Can. 24. præscripserunt:
Ignorantia mater cunctorum errorum, maxi-
mè in Sacerdotibus Dei, evitanda est, qui do-
cendi officium in populo susceperunt: Sacer-
dotes enim legere sanctas scripturas frequen-
ter, admonet Paulus dicens: Attende lectioni
& exhort. &c. Sciant ergo Sacerdotes Scriptu-
ras sanctas, & Canones meditentur, omne opus
eorum in precatione divina & doctrina con-
sistat, atq; ædificent cunctos tam fidei scientia,
quam operum disciplina. Quapropter non di-
scientes, nec in sacris melius proficientes, ac sibi
com-

commiffas Ecclefias docere negligentes, tanquam inutilis mercenarios repudiandos, Ecclefiis ejiendos, & ab officio deponendos cenfemus, ficut jam olim in Conc. Aurelian. 2. Can. 13. cautum eft, qui fie legitur: Clerici, qui officium fuum implere defpiciunt, aut vice fua ad Ecclefiam venire detractant, loci fui dignitate priventur.

CAN. XVI.

De Catechifmo non negligendo.

Catechifmus in Ecclefiis omitti non debet, fed juventus in fundamentis fidei Chriftianæ diligenter eft instituenda, ut poftquam lacte fatiati fuerint, folidioris quoque cibi capaces effe poffint. Catechifmus autem unus & idem omnibus in Ecclefiis docendus, ne paftorum mutatione, forma quoque doctrinæ & institutionis mutetur, cum evidenti Auditorum difpendio.

CAN. XVII.

Quo loco, & tempore, & quibus Sacramenta adminiftrantur.

Sacramenta non debent adminiftrari, nifi in publico loco, præfente Coetu, & quidem antemeridiano tempore, quod non folum de Coenæ Domini, fed de Baptifmo quoque dicimus: ac id quidem ideo fieri volumus, quod Baptifmus facramentum fit noftre in coetum Eccle-

Ecclesiæ infertionis: deinde, ne Sacramentorum dignitas vilescat, excepto tamen casu necessitatis. Administrent autem Pastores Baptismum infantibus Christianorum, & si petatur, etiam adultioribus, sed prius Catechizatis, & in doctrina & religione Christiana recte fundatis: deinde Cœnam Domini, eâ, quam scimus usum fuisse Dominum, & Apostolos ceremoniâ.

CAN. XVIII.

Baptismi administratio mulieribus non permittitur.

Administratio Baptismi mulierculis nullo modo permittenda est, etiam si mortis necessitas urgeat: mulieribus enim munus ministrandi in Ecclesia non est permissum, sed quorum est docere, eorundem & sacramenta administrare: à Pontificiis tamen administratus Baptismus reiterari non debet.

CAN. XIX.

Ne Diaconi nostri, Æditui, sacramentum Cœnæ administrent.

Patres Nicæni Conc. I. Can. 14. hac de causa sic ediderunt: Pervenit ad sanctum Concilium, quod in locis quibusdam & Civitatibus, Presbyteris sacramenta Diaconi porrigant: hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi sacrificii non habent

bnet potestatem, his qui offerunt corpus Christi porrigant. Eadem fuit sanctio Laodicensi Conc. Can. 25. edita, qui sic legitur: Non oportet Diaconum panem dare, nec calicem benedicere.

CAN. XX.

Quod pro sacramentis nihil ex debito sit exigendum.

PLacet nobis Bracarenfis Concilii 2. Can. 7. qui sic legitur: Unusquisque Episcoporum per Ecclesias præcipiat, ut hi, qui infantes suos ad Baptismum offerunt, si quid voluntariè pro suo voto offerunt, suscipiatur ab eis; si qui verò per necessitatem paupertatis aliquid non habent, quod offerant, nullum illis pignus violenter tollatur à Clericis. Similiter definimus, pro Eucharistia distributa, nihil ex debito petendum esse, scientes donum DEI precio venale non esse; sponte autem oblata non repudianda iudicamus.

CAN. XXI.

Qui sint arcendi à sacramentis.

QUI verbum DEI rejiciunt, ac religionis Christianæ fundamenta, imo vel orationem Dominicam, ipsumque Symbolum Apostolicum ignorant, Deum contemnunt, ut sunt vulgo Cigani vocati, & similes prophani, his velut alienis à fide Christiana, sacramentum

mentum quoque Baptismi, & Cœnæ negandum statuimus: imo etiam si moriantur honorificâ sepulturâ non afficiendos iudicamus. *Mat. 7.* Sanctum enim, non est dandum Canibus, nec margaritæ obijciendæ sunt porcis. Arcuantur etiam pueri à sacramento Eucharistiæ, qui fundamenta religionis Christianæ ignorant, se ipsos probare non possunt, nec inter sacrum & prophanum discretionis aliquid norunt.

C A N. XXII.

De eo, qui acceptam Eucharistiam non consumpsit.

PLacet nobis Tolet. Conc. i. Can. 14. qui sic legitur: Si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus proPELLATUR.

C A N. XXIII.

De Ceremoniis

Ceremoniæ, quæ boni ordinis causâ sunt institutæ, & non nihil faciunt ad exercitia fidei & pietatis Christianæ, sunt observandæ: ita tamen ne alligetur iis opinio cultus & meriti, aut necessitatis: deinde vero plus temporis tribuatur docendo & audiendo verbo Dei, quam Ceremoniis.

C A N. XXIV.

De diebus festis.

Dies festi sanctorum, quorum observatio ex eodem fonte cum invocatione sanctorum promanavit, nullo modo sunt observandi præter Dominicum diem, Item Conceptionis, Nativitatis, Circumcisionis, Passionis, Paschatis, Ascensionis & Pentecostes cum suis feriis.

CAN. XXV.

Diebus Dominicis non operandum.

Cum dies Dominicus cultui divino sit destinatus, operas manuarum profus omnibus in locis, interdiciamus. Ministrorum ergo erit invigilare, ut violatores Sabbathi Christiani, primum puniantur à Magistratu, deinde vero, si Magistratus officium non faciat, verbo & sacramentis interdiciendum erit. Magunciacum Conc. jam olim h. c. de causa scripsit Can. 37. qui sic legitur. Omnes dies Dominicos, cum omni veneratione decrevimus observare, & à servili opere abstinere, & ut mercatus in eis minime sit, nec placitum, ubi aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur.

CAN. XXVI.

De propriis Ecclesiis regendis.

Satis est, si quis spartam, quam nactus est, ornare possit h. e. Ecclesiæ, in qua quisque divinitus est positus, ministrare fideliter possit. proinde, nemo lucri causa duabus, vel tribus

D

Eccle-

Ecclesiis simul inserviat, nisi ab antiquo ita fuerit ordinatum, ut sunt plerumque uni Ecclesiæ, velut matri, duæ tresve filiales adjunctæ: alias annuo loci illius proventu privabitur per Seniores, nisi propter defectum Ministrorum, necessitas aliter facere jubeat.

C A N. XXVII.

Diœceses non mutabunt D. Sym-Presbyteri inconsultis Senioribus.

Minister DEI, propria Ecclesia legitime relicta, alii se obligare non potest, inconsulto inscioque utroque Seniore, cui scilicet subjectus erat, & cui subjiciendus erit: secus facturus per unius anni spacium privabitur officio.

C A N. XXVIII.

Nemo fraudulenter, aut violenter, Ecclesiam invadat.

Nemo debet Ecclesiam, quam ambit, per cuniculos invadere, ita ut Pastorem ejus traducendo, inde eum ejicere studeat, non expectans vocationem, nec sua Parochia contentus: alioqui talis ad spacium unius anni privabitur. Idem statuimus de iis quoque, qui potentiorum autoritate freti, reluctante plebe, quasi per vim sese ingerunt, cum maxima sacri ministerii ignominia, & verbi divini contemptu. Idem legitur in magno illo Concilio

lio Nicæno I. Can. 15. 16. qui sic exstant: Propter multas perturbationes, & frequentes tumultus seditionum, qui fieri solent, placuit omni modo istam abscindi consuetudinem, quæ contra regulam est (sicubi tamen sit) id est, ne de civitate ad civitatem transeat vel Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, si quis vero post hæc statuta, sancti hujus Concilii, tale aliquid agere tentaverit, infringatur omni genere hujusmodi conatus & restituatur propria Ecclesiæ, in qua ordinatus est. Si qui vero timorem DEI ante oculos non habentes, neque Ecclesiastica statuta custodientes, recesserint ab Ecclesia sua, sive Presbyter, sive Diaconus, vel in quocunque Ecclesiastico ordine positi fuerint, non debent suscipi in alia Ecclesia, sed cum omni necessitate cogantur, ut redeant ad Ecclesiam suam.

CAN. XXIX.

De modo successionis in aliqua Ecclesia.

Nemo seipsum alicui Ecclesiæ obligare debet, nisi accepta prius ab auditoribus venia, eoque cui successurus est honeste dimisso, atque pro mercede laboris sui contentato: alioqui vocatio, & successio irrita futura est, ac illo loco etiam, in quo antea vixerat, exturbandus erit.

Cum Testimonialibus diœceses mutanda.

Ministri DEI parochias mutaturi, & in alterius Senioris diœcesin transaturi, à D. Seniore, cui prius paruerant, testimonium accipere debent de honesta sua conversatione, quod præsentare debent alteri D. Seniori, cui deinceps parituri sunt: secus facturi non recipientur: jam vero recepti exturbabuntur plerique enim, perpetrato scelere aliquo sese subducunt, & alio migrant, ut sic pœnam commertitam effugiant. Constantinopolitanum 6. Gener. Conc. Can. 17. hac de re sic edidit: Statuimus, ut nullus omnino Clericus possit sine proprii Episcopi scriptura dimissoria in alienæ Ecclesiæ catalogum referri: qui secus fecerit, deponatur.

CAN. XXXI.

In sacro Ministerio lucrum non spectandum.

Pastores ovium Christi, amplioribus Ecclesiis regendis præfecti, quæ Collegas alere fuerint solitæ, omnem operam ac diligentiam debent adhibere, ut is ordo in locum restituitur, neque Pastor sui Collegæ munus rapere, & proventum utriusque recipere debet: alias Collegæ sui proventu privabitur. Ubi item Ministri Dei, alias suis Auditoribus charissimi, possunt

possunt esse contenti ea mercede, quam populus eis solvit, non debent frequenter suas mutare parochias, ne proprium commodum multò magis, quam Ecclesiæ ædificationem quærere videantur. Hæc mala Ecclesias frequenter mutandi consuetudo, olim vel ipsis Episcopis sanctione Synodali vetita legitur Can. 1. Conc. Sardicensis. Vide supra Class. I. Can. 17,

CAN. XXXII.

Quando populus sit Pastore privandus.

Quia ex sententia divinæ legis Christi item & Apostolorum, dignus est operarius mercede sua, Auditores ejusmodi ingratos, qui suos Pastores justo & legitimo proventu defraudant; qui item ob leves injurias, vel saltem quod correctionis sint impatientes, probatæ doctrinæ & vitæ Ministros ablegant, ejusmodi inquam Auditores, Pastore jure meritoque privandos censemus, donec rationem sui facti sufficienter in Synodo reddiderint. Similiter sonat Maguntiaci Conc. Can. 29. ut Laici Presbyteros non ejiciant de Ecclesiis, neque constituent sine consensu Episcoporum suorum.

CAN. XXXIII.

*Dereditibus Ecclesiarum nec minuendis
nec penitus negligendis.*

Ministri fideles omnes, ut boni operarii, mercede sua digni quidem sunt; nec peccant

quando stipendium, omniaque pro se, & sua familia honestè alenda, necessariò accipiunt: *2. Cor. 9.* Nam Apostolus ostendit, hæc jure dari ab Ecclesia, & accipi à Ministris: nec in eo quidem peccant, si crescente fidelium Auditorum, multitudine, vel annona ingruente, vel familiis Ministrorum crescentibus, vel ipsis Ministris ad paupertatem, & nimiam egestatem redactis, mercedem, ab antiquo dari solitam, augeri cupiant, quo melius officium facere possint, anxia solitudine victus & amictus non distracti: verum enimvero, quicumque in gratiam plebis, aut Patronorum, redditum Ecclesiasticum, jam ab antiquo Ministris ordinatum imminui, aut ulla ratione defalcari patiuntur, dummodo ipsi ibi tolerantur, loco suo, tanquam boni publici fures, exturbabuntur: qui item vineas, aut terras arabiles, ad Ministerium pertinentes neglexerit, incultasque reliquerit, justa æstimatione facta, damnum à Pastore datum refarciatur, nec interea dimittatur donec satisfaciat, tanquam altaris, & Successorum deprædator: ita enim à Domino ordinatum est, ut qui in altari serviunt, ex altari etiam vivant.

C A N. XXXIV.

De Jure Excommunicationis.

Quia plerumque homines graviter peccantes

CANONUM ECCLES, 55

tes correctionis sunt impatientes, ac eo prorumpunt contumaciâ, ut verbo Domini & Sacramentis ejus abrenuntient, & cum Ministris Ecclesiarum perpetuam foveant inimicitiam: tales semel atque iterum sunt admonendi ex Christi mandato; postea verò, nisi resipuerint, publicè erunt arguendi: postremò denique, ubi his nihil proficitur, erunt excommunicandi, & quidem ita, ut non solùm vivis, sed etiam mortuis, tum illis ipsis, tum familiis, vestigiis ipsorum insistentibus, Ministerium Ecclesiasticum prorsus interdicator, ac à communi etiam loco sepulturæ arceantur, ut ex Christi regula, *Math. 8.* mortui sepeliant mortuos suos. 22.

C A N. XXXV.

Ne quis pro parvis causis excommunicetur.

Nullus Minister, quenquam rectæ fidei hominem, pro parvis & levibus causis à communione suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres arceri jusserunt aliquid committentes.

C A N. XXXVI.

Cum excommunicatis non esse communicandum.

AB excommunicatis, priusquam per debitam pœnitentiam Deo, & Ecclesiæ reconciliati fuerint, omnibus tamen Ecclesiasticis,

quam Secularibus abstinendum esse judicamus: Sicut ab illis etiam, quos Apostolus commemorat, dicens, cum eis nec cibum sumere: Si quis igitur cum excommunicatis, avertendo regulas, scienter psallat in domo, aut simul locutus fuerit, aut oraverit, aut comederit, quasi consentiens peccatis eorum, & potestatem Clavium divinitus traditam, contemnens, & ille communionem privatur. Similiter definivit Conc. Carthag. 2. Can. 7. qui sic legitur: Placet, ut qui merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt, si ab aliquo Episcopo, vel Presbytero, vel Clerico fuerint in communionem suscepti, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius.

C A N. XXXVII.

De Apostatis resipiscentibus recipiendis.

DE his qui Apostatant, & antequam ad Ecclesiam se presentent, poenitentiam agere quaerunt, & postea in infirmitatem arrepti petunt communionem, placuit eis dandam communionem, si promiserint dignos fructus poenitentiae sese acturos esse, postquam pristinae valetudini restituti fuerint.

C A N. XXXVIII.

De his qui inter se odiis exardescunt.

QUIDAM publice, magno aliorum scandalo diutius odiis inter se exardescunt, ideo

ex charitate fraterna sæpius erunt monendi, & objurgandi, ut ad pacem redire festinent, & tantisper in conventibus Ecclesiasticis tolerandi. Si verò nullam spem futuræ concordiaë derint, ac omnino irreconciliabiles sese contumaciter declaraverint, post publicam semel atque iterum factam denuntiationem erunt excommunicandi.

CAN. XXXIX.

De perjuris.

Qui vehementiori ira, velut furore quodam abreptus, incautè sacramento se obligaverit, quod litigans cum quolibet, ad pacem nullo modo redire velit; ac postea timore Dei, post crebras objurgationes, proximo suo reconciliatus fuerit, pro perjurii reatu pœnitentiam agere, ac Deum placare debebit omni studio.

CAN. XL.

Ne puella fideles infidelibus conjungantur.

Notum est ex sacris literis, olim divinitus vetita hujusmodi conjugia imparia, nescilicet alterutra persona in vera religione corrumperetur, & ad impietatem vel infidelitatem seduceretur; ideoque neque Hæreticis damnatis, neque Judæis, neque Ethnicis Catholicas dandas puellas statuimus, ne jugum cum in-

58 TERTIA CLASSIS
fidelibus ducamus. Si verò contra interdictum
hoc fecerint parentes scientes & volentes, cen-
suræ Canonicae obnoxii sunt.

CAN. XLI.

De iis qui fidem Sponsaliorum frangunt.

SI qui parentes, nulla iusta de causa, sed vel ex
levitate, vel spe fortunæ melioris, fidem da-
tam Sponsaliorum violaverint, à Magistrati-
bus erunt puniendi, vel in corporibus, vel in
bonis suis: Si verò Sponsus vel Sponsa in illo
crimine fuerint deprehensi, excusati quidem
erunt parentes non consentientes; at illi vel
Magistratibus erunt tradendi, vel novi conju-
gii spes illis erit adimenda ad determinatum
usque tempus.

CAN. XLII.

De Excommunicatis à seculo exeuntibus.

IN tradenda eis communione, & cura & pro-
batione sint Ministri prudentiores.

CAN. XLIII.

De modo reconciliandi Pœnitentes.

LAodicenum Conc. Can. 2. sic legitur: His
qui diversorum peccatorum lapsus incur-
runt, & oratione & confessione, ac pœniten-
tia malorum suorum, perfectam conversio-
nem demonstrant, pro qualitate peccati, pœ-
nitentiæ temp⁹ attribuendum est propter mi-
feri-

fericordiam & bonitatem DEI: qui ergo hujusmodi sunt, revocandi, & ad communionem sunt applicandi.

CAN. XLIV.

Ne Minister Dei secularibus se immisceat.

Ministri Ecclesiarum alienis, & secularibus, ut Apostolus loquitur, negotiis seipfos implicare (utpote causis forensibus, decimis exigendis, & his similibus) nullo modo debeant: alias condigne punientur à Seniore. Ac in bellis, vel præsiidiis finitimis constituti Pastores prædicationibus aliisque sacris vacare debent, non autem cum gregariis militibus excursiones facere vel arma gestare, vel manus cum hostibus conferre, vel sanguinem humanum fundere: Nam Petrum, Dominus gladium recondere jussit: & Apostolus, arma, inquit, militiæ nostræ carnales non sunt: Et Moses olim contra Amalec, non armis, sed orationibus pugnavit.

CAN. XLV.

De Usuris vetitis.

Nemo ex iis, qui Domino ministrant, debent accipere usuras, quæstum, vel lucrum exercere, & vel pecuniæ, vel vini, vel frumenti fœnus, cum evidenti proximi detrimento accipere: deprehensi autem in usuris, quæstuque exercendo, primum bonis erogatis, & accep-

ptis

tis privabuntur: deinde, nisi resipiscant, abjiciantur. Similiter hanc causam definivit magnum illud Conc. Nicænum. Can. 18. qui sic legitur: Quoniam multi Clerici avaritiæ causa turpia lucra sectantes, obliti sunt divini præcepti, (quo dictum est, qui pecuniam suam non dedit ad usuram) & fœnerantes centesimas exigunt; statuit hoc sanctum Concilium, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipere, ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari, vel etiam species frumentorum ad septuplum dare, omnis qui tale aliquid conatur ad quæstum, dejiciatur à Clero, & alienus ab Ecclesiastico habeatur gradu.

C A N. XLVI.

De Pœnis sceleratorum Ministrorum.

Ministris Ecclesiarum danda est opera, ut inculpata sint vitæ: deprehensi autem in scelere, utpote in homicidio, furto, adulterio, & similibus, privandi erunt officio, & in potestatem Magistratus politici tradendi.

C A N. XLVII.

De ebriosis Ministris.

Si qui ebrietatis accusati fuerint, semel & iterum monendi sunt, quod si emendare vitam noluerint, officio privandi erunt. Idem statuendum est de plagosis, procacibus, & convitiis ac jurgiis publicè, cum ingenti

genti scandalo, ac ministerii ignominia, certantibus.

CAN. XLVIII.

Quod depositi ab officio abstineant.

Ministri Ecclesiarum, turpi aliqua infamia notati, & ideo depositi, vel excommunicati, nullo modo ministrare debent, nisi Ecclesie reconciliati fuerint, secus facturi in perpetuum abjicientur.

CAN. XLIX.

Quod depositi ab aliis recipi non debeant.

Ministri depositi, & privati ab officio, nullo modo recipi debent, nisi reconciliati Ecclesie fuerint. Similiter legitur Conc. Carth. 2. Can. 7. Placet, ut qui merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsati sunt, si ab aliquo Episcopo, vel Presbytero, vel Clerico fuerint in communionem suscepti, etiam ipse pari cum eo crimine teneatur obnoxius. Huc pertinet A-rausicani Concilii Can. 10.

CAN. L.

De depositis ad Secularium potestates confugientibus.

Quicumque alicujus criminis convicti, & ab Ecclesia poena commerita mulctati, ad potentiores, externumque praesidium confugiunt, sese Ecclesie & ejus judicio contumaciter opposcentes, ii in perpetuum, & sine ulla spe

62 TERTIA CLASSIS
spe veniæ, tanquam putida membra abjiciantur ac proscribantur.

CAN. LI.

De vestitu Ecclesiasticorum.

FAMILIAM quoque talem habeant Ministri Dei, quales ipsorum oportet esse, sicut Apostolus præcepit, & arcere, quantum possunt, luxū, sumtuosas vestes, & peregrinum habitum, & à se, & ab uxoribus, ne videantur majorem habere rationem cultus exterioris, quam interioris; officio autem suo, & dignitate personarum convenientem habitum circumferant. Et Conc. Carthag. 4. Can. 45. sic legitur: Clericis professionem suam & in habitu, & in incessu probet, & ideo nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat.

CAN. LII.

Ne Ecclesiastici canibus venaticis utantur.

AGATHENSIS Concilii Canon 35. sic legitur: Episcopum, Presbyterum aut Diaconum, canes ad venandum, aut Accipitres, aut hujusmodi res habere non liceat; quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus à communione suspendatur; si Presbyter, duobus mensibus se abstineat.

Can.

CAN. LIII.

De Ministris ab Ecclesia sua absentibus diebus solemnioribus.

SI quis in sacro ordine constitutus, ab Ecclesia sua diebus solemnioribus abfuerit, id est, Dominica, Nativitatis Domini, Paschate, Pentecoste, dum potius singularibus lucris studet, quam servitio Domini, convenit, ut tribus mensibus à communione suspendatur: similiter si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua abfuerit, huic damnationi succumbat.

CAN. LIV.

Ecclesiasticis non licet choreas ducere,

SAltationes, vel, ut vocant, choreas, vel in publico, vel in privato loco Ministris Dei, & uxoribus, & filiabus eorum, item Scholarum Rectoribus & Studiosis omninò interdiciamus; transgressores autem seriò puniendos censemus. Imò diligenter exhortamur & Seculares, ut jam tandem desinant sic gentiliter insanire.

CAN. LV.

Quales personæ non sunt copulanda.

DElertæ personæ, sine legitima Ecclesiæ cognitione & libello repudii, vel divortii prius non accepto: sic etiam conjuges impares, & virgines infra ann. 14. copulari non debent: transgressores autem mulctabuntur primùm
flor.

floren. 14. deinde idem sæpius facientes officio
privabuntur.

CAN. LVI.

*De nuptiarum Conciliatoribus insti-
tuendis.*

Quoniam ex dispari conjugio graves sæpissi-
mè controversiæ & lites oriuntur, dum
vetulæ, & mulieres temulentæ, ventris sui cau-
sa, modò ipsæ lautius tractentur, personas in-
convenientes in Matrimonium cogant, Mini-
stri Dei, cum suis Auditoribus operam dare de-
bent, ut in omnibus oppidis & pagis certi ho-
nestæ famæ proci, quasi Nuptiarum Magistri
constituantur, quorum auspiciis, idoneæ &
convenientes personæ copulentur.

CAN. LVII.

*De Testimonio alius Ministri petendo, ut
ejus Auditoribus inserviat.*

SI qui, vicini Ministri Auditores, vel Baptif-
mum vel copulationem petant à vicino Pa-
store, nullo modo iis ministrabit, nisi idoneos
testes adhibeant, de sui Pastoris vel absentia vel
ægritudine; sæpe enim hac ratione impuræ, in-
eptæ, vel non liberæ personæ copulari solent:
secus facturi censuram canonicam sustine-
bunt.

Can,

CAN. LVIII.

Denunciatio novarum Nuptiarum.

UT scandala evitari possint (ne quo modo per errorem personæ inconvenientes, aut illiberæ conjungantur) ante Nuptiarum solemnitatem, & juramentum ipsum, in frequenti Ecclesiæ cœtu, præcedere debet, earum personarum, quæ in matrimonio copulari debent cum serâ Auditorum admonitione, ut si quid inconveniens inter eas sciverint, Pastorem id maturè edoceant.

CAN. LIX.

Diebus Dominicis Nuptiæ non permittantur.

DOMINICIS diebus non est permittenda nuptiarum celebratio, cum ii dies non conviviis, aut helluationibus, sed audiendo Dei verbo, & sacris cœtibus frequentandis dicati sint: Transgressores iudicio obnoxii sunt.

CAN. LX.

De non introducendis novis nuptiis.

INTRODUCTIO, ut vocant, novarum nuptiarum omittenda est, quod sit Papistica. Puerperarum verò introductio, quia non fit cum sacrificio pecudum & volucrum, nec cum observatione dierum olim præscriptorum, sed cum informatione & consolatione mulierum; item cum gratiarum actione & precatione, quæ Judæorum propria non sunt, verum omnibus ubique

66 TERTIA CLASSIS
bique Christianis communia, ex libertate
Christiana, non necessitate absoluta observari
possunt.

CAN. LXI.

*Mulierum nocturna comestiones
prohibita.*

Muliercularum nocturnæ comestiones,
computationes, & petulantia in convi-
viis puerperalibus, & Bacchanalicis grassatio-
nibus penitus tollantur: Reluctantes autem
ex Dei verbo serio arguendæ, & tandem, si resi-
piscere nolint, Ministerio sacro ipsis interdi-
cendum erit.

CAN. LXII.

*De Ministris Senioribus suis inobedi-
entibus.*

AD negotia Ecclesiæ, ad præsens urgentia, à
Seniore vocati, & venire prætermittentes,
privataque sua negotia publicis majoris æsti-
mantes, punientur primùm flor. 1, deinde fl. 3.
tertiò, tanquam contumaces & inobedientes
abjicientur.

CAN. LXIII.

*De spontanea populi oblatione promo-
venda.*

IN tribus solemnioribus festivitibus, Natali
scilicet Domini, Paschate, & Pentecoste, quot-
annis

annis populus Christianus, in omnibus ubique Ecclesiis nostris, diligenter à Pastoribus exhortandus erit ad spontaneam oblationem, in emolumentum Ecclesiæ instituendam. Negligentia verò Ministrorum, per Dominos Visitatores comperta, uniuscujusque proventus detrimento futura est: Et, qui fraudulenter hoc opus Domini fecerit, maledictus erit, ut Ananias cum Saphira. Qua de re Arelat. Concil. 2. Can. 28. sic legitur: Secundum constitutionem Synodi Vasensis, qui oblationem fidelium suppresserit, aut negaverit, ab Ecclesia, cui fraudem fecit, excludatur. Et quidam Patrum dixit: Amico quidquam rapere, furtum est, Ecclesiam fraudare, sacrilegium est.

CAN. LXIV.

*Ut agonizantes moneantur de legandis
Ecclesiæ bonis suis.*

Æ Grotantes fideles, ac bene mori cupientes, Ministri DEI piè adhortari debent, ut non solum suis omnia sua bona hæredibus Testamento legare cogitent, sed etiam in usum multiplicem Ecclesiæ, spontaneè aliquid designare dignentur, quam piam equidem consuetudinem, ab antiquo usurpata legimus in multis Conciliis.

*Quod Ecclesiastici etiam legare debeant
Ecclesie.*

Congruum functionibus Ecclesiasticis hoc quoque judicamus, ut Pastores simul, & Ludimoderatores, ex hac vita decedentes, si hæredes habeant, aliquam saltem particulam suorum bonorum Ecclesiæ, testamento relinquunt, sive pecuniolam, sive libros, sive aliquid aliud, quod in eorum fuerit potestate; si vero omnibus destituti fuerint hæredibus, totam suam substantiam legent Ecclesiæ usibus necessariis. Qua de re Agathen. Conc. Can. 24. sic legitur: Episcopus, qui filios aut nepotes non habuerit, alium, quam Ecclesiam, non relinquat hæredem.

CAN. LXVI.

De variis usibus bonorum Ecclesiæ.

Oblationes vero fidelium, non oportet nos in prophanum aut privatos usus expendere, verum in emolumentum Ecclesiæ erogare decet. Deficientibus igitur studiorum Patronis, partim eas oblationes conferemus in promotiones Academicorum studiosorum: partim in Scholas illustriores conservandas, partim in edendos libellos, partim in subsidium exulantium propter persecutiones Sym-Presbyterorum, si ita fuerint pauperes,

peres, partim in viduas & orphanos, in extrema necessitate relictos à decessoribus confervis nostris. Et has quidem, aliasque justas expensas faciendi occasiones, tempera suppeditabunt.

CAN. LXVII.

Ne Presbyteri jurare cogantur in Judiciis.

EX permissu Superiorum vocatus Presbyter, in iudicio ad jurandum cogi non debet, sed vice sacramenti, per sanctam consecrationem interrogetur: Quia Sacerdotes ex levi causa jurare non debent, cum Dominus in Evangelio discipulis suis dicat: Nolite jurare omnino, &c. Quod autem his abundantius est, à malo est. *Matth. 5.*

CAN. LXVIII.


Neminem ad fidem amplectendam cogendum esse.

Firmiter secundum scripturas tenentes, fidem Christianam non esse humanarum virium, quia caro, & sanguis eam nobis non revelant, sed Pater cœlestis, cujus misericordiam consecuti demum efficimur fideles, ideo ex præcepto Salvatoris, & exemplis divorum Apostolorum. Evangelii prædicationem persuadendos, non persequendos censemus homines, ut fidem amplectantur.

70 TERTIA CLASSIS
CAN. LXIX.

De Presbyteris coercendis.

ACephalii, qui sine capite sunt, neque sub Episcopo, ut Clerici, nec sub aliqua potestate seculari, ut Laici vivunt, sed hippocentauris similes, nec equi, nec homines, dum nullum metuunt, explendæ voluptatis causa licentia sectantur: tales omnino ubicunque inventi fuerint, vagari non permittantur, sed servitio Domini adstringantur; si obedire noluerint degradentur.



QUARTA CLASSIS
CANONUM, DE
SCHOLIS.

CAN. I.

*A Pastoribus quales Rectores Scholis
præficiendi.*

Quia vero Scholæ seminaria sunt Ecclesiarum, Pastorum esto officium, Scholarum singularem habere rationem, & in omnibus locis tales præficere Ludimoderatores, qui pueritiam & juventutem in studiis pietatis, & humanioribus literis sedulo erudiant & informant. Non solum igitur artes liberales, verum etiam quæ ad religionem pertinent,

tinent, docere debent, ut sunt præcepta divina, Articuli fidei, Catechismi, compendia Theologiæ, sacri Hymni & Psalmi: diebusque festivis nihil aliud suos discipulos docere possint, quam ad religionem, & ad bonos mores pertinentia, eosque in illis instruere, hortari & cogere, in quantum possunt, teneantur, ut sacras preces divinaque officia, & conciones audiendas non negligant, nihilque contra bonos mores, aut quod ad impietatem inducat, legant.

CAN. II.

Magistri simul & discipuli suis Pastoribus obedire tenentur.

Rectores Scholarum, quemadmodum à Pastoribus & vocari, & collocari solent, ita iisdem in omnibus pietatis & humanitatis officiiis debitam obedientiam præstare debent una cum suis Auditoribus: Inobedientes autem, & rebelles tam Rectores quam Studiosos; eijcendi auctoritatem habeant Pastores, re tamen prius cum Domino Seniore communicata.

CAN. III.

De diligentia & fidelitate Ludimoderatorum.

UT autem Rectores, id quod suum est, à Plebe jure exigunt, ita vicissim, ex communi

justitiæ regula, suū officium fideliter faciant, ac in informanda juventute Scholastica, non tam privatis studiis incumbere, nec tam privatum commodum, quam Auditorum suorum profectum spectare debent, ideoque ad illorum captum & ingenium, ita sese Magistri accommodent, ut, nisi inchoatas semel lectiones ad terminum unius anni (præter unam Dialecticam, cujus explicationi biennium conceditur) fideliter absolverint, omni suo stipendio, & annuo salario, tanquam fuci inutiles & Mercenarii, privandi sunt. Non discentes autem, nec docentes, ut sunt multi pagani & uxorii Rectores, amovendi sunt.

CAN. IV.

Ecclesiasticum munus aspernantes non recipiendi.

AD gubernationem Scholarum, aliasque Ministerii Ecclesiastici functiones, ut sunt Collegarum, Cantorum, non temerè quilibet fuci, & à pietate Christiana prorsus alieni, ac functionem Ecclesiasticam abhorrentes, sunt admittendi, sed de quibus bona spes sit, imò qui sese obstrinxerint, vocatos suam operam olim Ecclesiæ locaturos, ne panem filiorum ex altari suffurantes, indignè absumant.

Can.

CAN. V.

De Moribus & Habitu Ludirectorum.

Scholarum Rectores nec vita, nec habitus secularis; sed vita pia & honesta, habitus autē Ecclesiasticos decent, ideò non debent conformari seculo, nec comessatoribus potatoribusq; juvenibus sociari, ne Scholæ transformentur in tabernas. Invitatis ad Nuptias Rectoribus non licet certatim potare ad ebrietatem & vomitum usque, nec cum selectis virginibus, cum scandalo sacri ordinis, ad libitum saltare, vel choreas, ut voeant, ducere: qui verò ex contemptu suorum Pastorum, id perpetrare præsumserint, tanquam regulas Ecclesiasticas confundentes, ac honestam nostram conditionem & sacrum ordinem commaculantes, ut filii degeneres, Scholis ejiciendi erunt.

CAN. VI.

De Peregrinationibus Ludirectorum.

Gulæ ventricque dediti quidam Rectores, vicinos suos sæpiùs comessationis, computationisque causâ visitant; duobus vel tribus pluribusque interdum diebus absentes à suis Scholis, idque insciis suis Pastoribus, quos contemnentes, veniam ab eis non impetrant. Hanc licentiam peccandi præcidimus, ac seriò mandamus, ne quisquam vel unius diei spacio abesse audeat, inconsulto suo Superiore, ut cum ne-

cessitas aliqua eos urserit, longiorem etiam peregrinationem suscipiendi, permisso suorum Pastorum, libertatem peregrinandi habeant.

C A N. VII.

De Amatoribus & amatorii cantilenis tollendis.

Lascivi quidam Rectores, simul & Studiosi juvenes, bonam conscientiam non habentes, neque Deum timentes, neque homines reverentes, non solum veneris cantionibus sese turpiter oblectant, verum & Amasolis nactis, dies noctesque domos earum frequentant; ideoque serio mandamus, autoritate nostra, quam divinitus accepimus, ad regendas utiliter Ecclesias, ut Cantiones amatoriae perimantur penitus, Vulcano traditae; ac Rectores, Studiosique honestam vitam vivere studeant, alioqui hujusmodi caninae impudentiae juvenes, semel Scholis ejecti, in sacri Ministerii dignitatem, tanquam infames, neque successu temporis promovebuntur, neque in juventute sua aliis Scholis regendis admittentur, tanquam catharmata mundi, & putrida membra Ecclesiae.

C A N. VIII.

De Moribus & Habitu Studioforum.

Quia Scholae Ecclesiae sunt Seminaria, ex quibus

bus Deus in suam messem operarios evocare solet, Studiosos quoque ipsos oportet, qui in Scholis bonis literis operam suam navant, non solum in moribus, sed in externo quoque habitu pietatem & singularem modestiam præ se ferre, & vestimenta, calceamenta que huic ordini convenientia gestare. At verò vestem militarem, dissectos pileos, cothurnos rubros, vel alius splendidioris coloris (præterquam nigros) Turcicam rasuram, & id genus alia sibi usurpantes, armaque importunè gestantes & grassantes, cum Rectores tum Studiosi Scholis explodendi sunt.

C A N. IX.

Rectores in sacris sese exercere debent.

Absentibus, vel agrotantibus, vel nimium occupatis interdum Pastoribus, publicas preces in templis recitare, nonnunquam & Conciones populo instituere assuescant Ludirectores, in habitu decenti; idque sui exercendorum magis, quam ut suos sublevent Pastores, ne, cum ad sacrum ordinem petendum venerint, omninò rudes & inexercitati compareant.

C A N. X.

Triennium Ludimagistris conceditur.

Adultiores ætate, trium annorum spacio juventutem informare possunt, idque sum-

ma cum diligentia ; negligentibus verò nec biennium concedendum, si alii substitui possint. Conjugatis autem Rectoribus ne liceat in Scholis diutius delitescere, cum detrimento studiosæ juventutis; nisi forte nihil de sua industria remiserint.

CAN. XI.

Ludirectores sibi invicem injuriosi non sunt.

EVenit non raro, ut discipulus, didactro suo Præceptori non soluto, in aliam fugiat Scholam, vel sua sponte, vel allectus ab alio Magistro: Similiter & Studiosi grandiores, cum injuria suorum Præceptorum, sæpius mutare solent Scholas; idque ante terminum unius anni. Nemo igitur Ludirectorum alterius discipulum vel alliciat, vel sua sponte venientem recipiat, nisi soluto didactro priori præceptori sive Magistro; nec Studiosum sine commendatoriis admittat in suam Scholam, ne mala sit æmulatio inter vicinos Rectores. Secus facientes obnoxii futuri sunt judicio Majorum.

CAN. XII.

Patroni sceleratorum Magistrorum monendi.

SI qui irregulariter viventes, & has Superiorum Constitutiones floccipendentes Ludi-

moderatores defenſentur cum ſcandalo Eccleſiæ, & præjudicio ſancti hujus Presbyterii; ejuſmodi defenſores & ſclerum Patroni à Senioribus ſeriò admonendi merentur, ne ſeſe extollant adverſus poteſtatem Eccleſiaſticam; ſed tanquam filii obedientiæ, in omnibus quæcunque ſancta ſunt, Superioribus ſumma cum humilitate ſubjiciantur.

CAN. XIII.

Ut Cantores non utantur modulatione inordinata.

Vetus eſt Canon 75. in Trullo celebrati Concilii 6. generalis, qui ſic legitur: Eos, qui in Eccleſiis ad pſallendum accedunt, volumus, nec inordinatis vociferationibus uti, nec naturam ad clamorem urgere, nec aliquid eorum, quæ Eccleſiæ non conveniunt, ſed cum magna attentione & compunctione pſalmodias, DEO, qui eſt occulorum inſpector, offerre.

CAN. XIV.

Quæ pſallere in Eccleſia conveniat, vel legere.

Concilii Laodiceni Can. 59. hac de re ſic legitur editus; Non oportet Pſalmos, ab idiotis compoſitos & vulgares in Eccleſiis dici, neque libros, qui ſunt extra Canonem, legere; niſi ſolos Canonicos Veteris & Novi Teſtamenti.

De Ludirectoribus juramento obligandis.


Cum hætenus, magno cum animi dolore, viderimus Ludirectores quosdam, velut effrænes ad libitum suum irregulariter vixisse, congruum judicamus & decernimus, omnes & singulos, cum majores tum minores Ludimoderatores, hisce legibus præscriptis juramento obstringendos esse à suis Pastoribus, idque cum in Scholas introducuntur, præsentibus primariis & præcipuis Tribunis vel Civibus cujusque Civitatis, Oppidi, & Pagi, ut si non sua sponte, at juramento tam solemniter deposito coacti, sanctè & irreprehensibiliter viventes, officium suum diligentius facere velint.

CAN. XVI.

In Academiam promovendi suam Majoribus obedientiam spondere debent.

Quæ olim Poëta cecinit: Sic vos non vobis fertis aratra boves, mellificatis apes; ea nos hætenus cum dolore sæpius experti sumus; qui eruditiores patriæ nostræ juvenes multis laboribus reddidimus, in Academiam promovimus, promotos tandem, ac Ecclesiæ servitio utiles, patriæ nostræ emigrare permisimus, oleum & operam, ut dicitur, perdentes. Quamobrem de cætro servandâ decrevimus hanc cautionem, ut Scholarum Rectores in

Academias promovendi, bonam suam fidem promissam chirographis testentur propriis, se se obedientiam præstituros nostro Presbyterio, debitam patriæ suæ gratitudinem facto ipso declaraturos, nec sanctam nostram congregationem deseraturos. Alioqui si quis ambitionis aut majoris proventus causa, patriam suam contemnere præsumperit, omnino summam expensæ deponere teneatur.



QUINTA CLASSIS
DE
CONCILIIS.

CAN. I.

De causis convocandi Synodum.

MUltis sane de causis ab antiquo, inde ab ipsi Apostolorum temporibus, ad nostrum usque seculum Concilia celebrari solita sunt in Ecclesia; idque vel ut Ordinationes quædam fierent, vel ut vita moresque cum Ecclesiasticorum tum Secularium, per Visitatores explorati, censuræ Ecclesiasticæ subicerentur. Item, ut contentiones tollerentur, controversiæ dirimerentur, ac variæ multiplicæque causæ forum Ecclesiasticum concernentes dijudicarentur, irregulariter viventes pro suis

suis meritis corrigerentur, Canones ederentur, Symbolum fidei publicaretur.

His de causis olim magna illa Concilia celebrata leguntur, ad fidem scilicet Catholicam declarandam, asserendam, confirmandam; ad Hæresiarchas damnandos, sicut Nicenum I. contra Arrium, Constantinopolitanum adversus Macedonium, Ephesinum contra Nestorium, Chalcedonenſe autem adversus Eutychem anathematizandos congregata fuerunt, magno cum Ecclesiæ Orthodoxæ emolumento.

C A N. II.

Quod Episcopi sit Synodum indicere.

EPiscop⁹, cum consensu Dominorum Seniorum convocare debet Synodum per literas formatas, quas Dni. Seniores acceptas, ac suis adjunctas, per suam quisque Dioecesin, secundum seriem Ecclesiarum sibi subjectis exarare tenentur, idque iusto ante Synodum tempore: quas quidem literas omnes fideliter curabunt, ne vel intercipientur, aut diutiùs uno in loco deliteſcant.

C A N. III.

Quod singulis annis celebranda sint concilia.

Nicen. Conc. I. Can. 5. sic legitur: Quòd rectè visum sit, per singulos annos in singulis pro-

provinciis bis in anno Episcoporum Concilium fieri; quod decretum cum conditione sane possibilitatis intelligendum est: alioquin propter multas obstantes causas, si vel semel quotannis convenire possimus, idque Veris vel Autumni temporibus, una illa congregatione contenti erimus. Si verò gravis aliqua aut inevitabilis necessitas urgeat, secundo etiam nos convenire oportebit.

CAN. IV.

De absentibus à Synodo.

SI qui Synodis non interfuerint, nisi gravis aliqua & inevitabilis necessitas eveniat (de qua per literas vicinum Pastorem, aut D. suum Seniore edocere debebunt) juxta determinationem Synodi puniendi erunt.

CAN. V.

Quod Ludirectores simul & Studiosi Concilia frequentare debeant.

Ludimagistri & Studiosi eruditiores, non solum testandę etga sanctum Presbyterium obedientię debitę causa, sed in primis discendi studio, & Majores imitandi proposito, in sacris proficiendi ardore ac pio zelo, & ipsi cum suis Pastoribus sacro Concilio interesse debebunt, ac suę eruditionis pietatisque indicia publicę conabuntur; ut hac ratione in amore ac favo-

De QUINTA CLASSIS
re Ecclesiæ sese insinuare, ac promotiones tan-
dem sperare possint.

C A N. VI.

*Nemo discedere audeat ante peractam
Synodum.*

Hic Canon est 19. Arelaten. Concil. 2. qui sic
legitur: Si quis autem adesse neglexerit,
aut Cœtum fratrum, antequam dissolvatur
Concilium, crediderit deserendum, alienum se
à fratrum communione cognoscat; nec eum
recipi liceat, nisi in sequenti Synodo fuerit ab-
solutus.

C A N. VII.

De modo vivendi in Concilio.

Sobriè & piè, ut alibi; sic in loco Concilii o-
mnibus vivendum, honesta quærenda sunt
hospitia, ne aliena peccata nobis pudorem in-
cutiant. Qui verò inebriati lollare, aut turbas
excitare, aut convitia & maledicta in alios evo-
mere à Clanculariis deprehensi fuerint, uni-
versam Synodum, humi prostrati publicè de-
precabuntur.

C A N. VIII.

De ordine servando in Conciliis.

Audito signo campanæ, celeriter omnes
confluentes, turmatim ibimus in templum
Domini, ut prostrati humiliter Dominum
Deum

seum secretò quisque adorabimus; tandem
 recti voce sonora Spiritum sanctum sacri
 concilii Mediatorem vernacula lingua, simul
 cum populo invocabimus; audita breviter ad
 horam instituta concione, iterum eundem Spi-
 ritum sanctum cum devotione invocabimus,
 adorabimus. Postea verò sacri Ministerii Can-
 didatos de Fidei articulis, de eruditione & mo-
 ribus examinabimus, censura publica, bona
 inique conscientia adhibita, dignis sacro
 ministerio judicatis, per impositionem ma-
 num Presbyterii, sacrum ordinem cum be-
 nedictionibus conferemus. Causas denique
 Matrimoniales, vel alias Ecclesiæ statum ac æ-
 rificationem concernentes tractabimus, de ab-
 sentibus inquiremus; & hæc omnia devotè ac
 ieiunantes facere contendemus, exemplo di-
 scipulorum Apostolorum, de quibus legitur, Jeju-
 nantibus autem & ministrantibus illis Domi-
 nicis &c. Act. 13.

CAN. IX.

Solemniter continuanda Synodus.

Sicut cum devotione & magna frequentia in-
 cepit fieri Concilium, sic etiam continuari
 debet; turpe enim ac inordinatū est cum prin-
 cipium fervet, medium tepet, exitus alget. Per-
 severandum igitur erit omnibus in loco Con-
 ciliarii; discursationes certè vitari debent.

84 QUINTA CLASSIS

nec ex sancta congregatione identidem egrediendi, ac foris otiosè deambulandi, confabulandi licentia cuiquam, nisi ægrotantibus aut malè valentibus, conceditur. Solvetur autem unius diei Concilium, nisi ardua negotia prohibeant, circa horam secundam vel tertiam pomeridianam; idque cum brevi gratiarum actione & precatione.

C A N. X.

De Examine Ordinandorum.

HELVETICÆ nostræ Confessionis certo capite ad disputandum ab Episcopo designato, secundum illud argumentum, & alios fidei articulos præcipuos, Dni. Rectores, vel Studiosi in sacris eruditiores, Candidatos examinabunt, non immiscentes Sacris Philosophica, quæ Scholas non Ecclesias concernunt. Disputationes autem illæ debent institui latina & vernacula lingua, cum ædificatione Auditorum, præfidentibus D. R. Senioribus cum Episcopo, vel aliis eruditis Dominis Pastoribus ad hoc opus designatis. Candidati autem Conciones instituire parati sunt, nec ullum excusationis prætextum habere mereantur.

C A N. XI.

Omnes Ministri instructi veniant in Synodum.

CUM docere simul ac doceri debeamus in
Syno-

Synodo, ac in rebus agendis, vel causis decidendis vel decisivas vel suffraganeas voces edere; oportet nos omnes scientia, & libris instructos convenire, ut quilibet, sicut Poëta cecinit, & cantare pares, & respondere parati esse possint. Hac ratione non solum uniuscujusque profectus in sacris manifestabitur, sed & consensus orthodoxus, & privatæ opiniones detegentur, quales quidem corrigentur.

CAN. XII.

Omnia quesita & responsa fiant bona conscientia.

In sancta Synodo, Spiritu sancto, cordium scrutatore, præsidente, candidè, bona conscientia, nullo in quemquam odio concepto, nulla ostentationis libidine, nullo altercandi studio, nullo triumphandi, aut alium confundendi proposito; verum unius & solius veritatis inquirendæ pio conamine: Sic, dubio procul, Spiritus ille à Domino Jesu promissus deducet nos in omnem veritatem.

CAN. XIII.

Majoribus honor exhibendus.

Uniores pro ætate juvenili ut plurimum ferventiores: venerandam Majorum canitiem, debito honore, & filiali obsequio prosequantur, neminem eorum contemnant, aut ludibrio

86 QUINTA CLASSIS
habeant, ne maledictionem Cham incurrant,
& justas objurgationes in conspectu sancti
Presbyterii suo merito sustineant.

C A N. XIV.

Visitationis ratio reddenda in Synodo.

DOMINI Seniores suę visitationis rationē red-
dere teneantur, quales nimirum Ecclesiarū
Ministros, si reprehensione, vel depositione di-
gnos invenerint: debet siquidem justa esse in-
ter Ministros disciplina: inquirendum diligen-
ter in doctrinam & vitam Ministrorum in
Synodis: corripiendi sunt peccantes à Seniori-
bus, & in viam reducendi, si sunt sanabiles; aut
deponendi, ac velut lupi abigendi sunt per
veros Pastores à grege Dominico, si sunt incu-
rabiles. Helvet. Confess. C. 18.

C A N. XV.

De Collectis fideliter restituendis.

PRIDIE, vel postridie sanctę Synodi omnes &
singuli Pastores suarum Ecclesiarum obla-
tiones, tanquam Deo donatas, fideliter absque
ulla fraude, suis Dominis Senioribus tradant; &
ac soluta Synodo, in suas Parochias reversi, no-
mine sancti Presbyterii maximas populo gra-
tias agant pro devota illa oblatione. Collectas
verò illa pecunia numerata, Archidiacono o-
lim vocato custodienda tradatur, qui expensas
omnium

omnium, quas à Superioribus jussus, facturus est, rationem in Synodo redditurus est.

CAN. XVI.

Sponte oblata non repudianda.

Qui causas Matrimoniales sancto Presbyterio decidendas offerunt, post latam sententiam, si humanitatis & gratitudinis ergo, aliquid pecuniolæ, aut quippiam alterius muneris, ultrò ac sua sponte offerant, citra Simonia crimen bona conscientia, tanti laboris intuitu accipiendum judicamus: Nam bovi trituranti os non obligandum esse novimus. I. Cor. 9.

CAN. XVII.

Hisce Legibus omnibus subscribendum.

Omnes & singuli, tam præsentés quam futuri Ministri Dei, hisce Canonibus, tanquam communi suffragio approbatis & confirmatis, subscribere tenentur manibus propriis, ad declarandam sanctam suam obedientiam: Contemptores vero ac refractarii, societate nostra & communione carituri sunt, tanquam Acephali.

F I N I S,



EXHIBIT

...

...

...

...

...

...



...

...

...

...

...

...

...

...

AZ EDGYHAZI
jó rend-tartásoknak
IROTTÖRVENYI,

Mellyek
ÖTRESZEK BEN
foglaltattak.

Magyar nyelven penig,

Az edgyűgyű Prædikátorokért, és azokért-
is, kik e'nyomorult földön a' külső, vagy
polgári rendben Patronusi az Ecclesiáknek:
hogy értsék ők-is jó rend-tartá-
sunkat és törvényin-
ket,

Ki-botsáttatott,

Pest, Solt, Pilis, Nagy és Kis Heves, Tholna, &c.
Vármegyékbéli Prædikátoroknak
költségével.



V A R A D O N,


Nyomtattatott M. D C. XXXXII



E L S Ó R E S Z.
A Z I G A Z H I T M E G -
T A R T A S A R O L, E S A' P Ű S -
p ö k ö k n e k V á l a s z t á s o k r o l, F ő l - s z e n -
t e l t e t é s e k r ő l, é s m i n d e n
t i s z t e k r ő l.

I. C A N O N.

*A' Keresztyéni igaz Hitnek erős meg-
tartásáról.*

 Indeneknek előtte, hiszszünc és
vallyuc: hogy edgy az az Isten, a'
kit régen a' szent Prophetác és A-
postaloc ismértenec, hirdettenec,
és imadással tiszteltenec, a' kinec nevében
mindnyájan mi-is keresztyénec meg-keresz-
telkedtűnc, ugy-mint a' ki Atya, Fiu, és szent
Lélec, edgy természetiben, és óróc Istenségé-
ben, főlségében, ditsótségében, tselekedeti-
ben és tiszteletiben: de három szemelyekben,
és azoknac tulajdonságiban meg-külömböz-
tetett, a' mint az Apostali vallás, és Athaná-
sius-é, és a' Nicæabéli nagy Gyülekezet-é, ez
közönséges keresztyéni hitet nem tsak a' Sz.
Három-

Háromságrol, hanem még egyéb részeiben is nyilván meg-magyarázták.

Annak-okaért, valaki más Istent hirdet ez kívül a' gyülekezetben; Es ez fellyül meg-nevezett vallásokban meg-jelentett és meg-magyaráztatott hittel ellenkező vallást kezd tanítani meg-átalkodva, régen immár meg-átkoztatottnac lenni itellyűc azt a' ízent Pál Apostoltul, ki azt mondgya: *Gal. 1. v. 8. Bár mi, avagy Angyal az égből hirdetne-is tinéktec, a' kívül a' mellyet hirdettűnc tinéktec, átoç légyen.*

A' SZENT ATHANASIUSNAK vallása ez: Valaki idvözűlni akar, mindeneknec előtte szűkség hogy tudgya a' közönséges kerefsztyéni hitet: mellyet valaki éppen és egéfszen meg nem tartánd, kétség nélkül öröcké elvész. E' penig a' közönséges kerefsztyéni hit, hogy az edgy Istent Háromságban, és a' Háromságot edgységben tisztellyűc: sem a' személyeket ószve nem egyelitvén, sem az állatot el nem választván. Mert más az Atya személye, más a' Fiu-é, más a' szent Lelek-é: De az Atyánac, és a' Fiunac, és a' szent Leleknek edgy az Istensége, egyenlő a' ditsófsége, edgy öröcké valo Felsége. A' minémű az Atya, ollyā a' Fiu, ollyan a' Sz. Lelec. Teremtetlen az Atya, teremtetlen a' Fiu, teremtetlen a Sz. Lelec. Meg-mérhetetlen az Atya, meg-mérhetetlen a' Fiu, meg-mérhetetlen a' szent Lelec. E' öröcké-va-
lo az

lo az Atya, órócké-valo a' Fiu, órócké-valo a' szent Lélec. Es mindazáltal nem három órócké-valóc, hanem edgy az órócké-valo. Míképpen hogy nem három a' teremtetlen, hanem edgy a' teremtetlen, és edgy a' meg-mérhetetlen. Acképpen mindenható az Atya, mindenható a' Fiu, mindenható a' szent Lélec. Es mindazáltal nem három a' mindenható, hanem edgy a' mindenható. Ugy Isten az Atya, Isten a' Fiu, Isten a' szent Lélec, Es mindazáltal nem három Istenec, hanem edgy az Isten. Hasonloképpen Ur az Atya, Ur a' Fiu, Ur a' szent Lélec. Es mindazáltal nem három az Ur, hanem edgy az Ur. Merta' míképpen edgyenként mindenic személyt Istenec avagy Urnac kell vallanunc a' kerefsztyéni igafság fzerént, ugy három Isteneket avagy Urakat mondanunc nem szabad. Az Atya senkitől nem lótt, sem teremtett, sem született: a' Fiu egyedül az Atyától vagyon, nem lótt, sem teremtett, hanem született. A' szent Lélec az Atyától és Fiutól, nem lótt, sem teremtett, sem született, hanem származic. Edgy az Atya tehát, nem három Atyác, edgy a' Fiu, nem három Fiac, edgy a' szent Lélec, nem három lelkec. Es ebben a' Háromságban nints semmi első vagy utolsó, nints semmi nagyob vagy kisebb, hanem éppen a' három személyec egyetemben órócké-valóc és egyenlóc; Ugy
 hogy

hogy mindenekben a' mint immár oda fel mondván vagyon, mind az edgység a' háromságban, mind a' háromság az edgységben tisztelendő. A' ki azért akar idvőzűlni, ecképpen értsen a' szent Háromság felől.

De szűkséges az óróc életre a' mi Urunc Jesus Christus meg-testesülésének is hűséges elhivése. Ez azért az igaz hit, hogy hidgyűc és vallyuc, hogy a' mi Urunc Jesus Christus Isten Fia, Isten és ember, Isten az Atyánac állattyyából, óróktűl fogván szűlettetvén: Ember az ó Annyánac állattyyából, bizonyos időben szűlettetvén. Tókélletes Isten, tókélletes ember, okos lélekből és emberi testből álván. Egyenlő az Atyával az Istenség szerént, kissé az Atyánál az emberség szerént. Ki noha Isten és ember, nem kettő mindazáltal, hanem edgy a' Christus. Edgy penig nem az Istenség nec emberséggé lételevel, hanem az emberség nec az Istenre valo fel-vételével. Edgy tellyeséggel, nem az állatnac ószve-elegyítésével, hanem a' személynec edgyeségével. Mert miképpen az okos lélec, és a' test edgy ember, így Isten és az ember edgy Christus. A' ki szenvedett a' mi idvőségné, le-szállott a' pokolra, harmad napon fel-tamadott halottaiból, fel-ment az egekben, ül a' mindenható Atya Istennec jobján, innen jóvendő itélni eleveneket és holtakat, kinéc el-jövetelire minden ember nec

fel

fel kell támadni az ónnón testeckel, és saját tselekedeteokról számot adandóc, és a' kikjót tselekettenec óróc életre mennec, a' kik penig gonofzt tselekettenec, óróc tüzre mennec. Ez a' kőzónsėges keresztyėni hit, a' mellyet valaki igazán és erőssen nem hiszen, nem idvőzülhet.

A' N I C Ő A I Gyülekezetnec vallása a' hit felől: Hiszűnc az edgy mindenható Atya Istenben, és minden lathato és lathatatlan allatoknac teremőjében, és az edgy Ur Jesus Christusban, Istenec Fiában, az Atyánac edgyetlen edgy szűlőttében, az az, az Atyánacállattyából, Istentűl való Istenben, vilagosságtűl való vilagosságban, igaz Istentűl való igaz Istenben, szűlettetben, nem teremtettben, az az, a' ki edgy állatu az Atyával, a' ki által mindenec teremtettec, mind a' kik a' menyben, s-mind a' kik a' földőn vannak, ki mi ertűnc emberekert, és a' mi idvőssėgűnkert szallott le, és meg testesűlt, és emberrelőtt, és szenvedett, és fel-tamadott harmad napon, és fel-ment az egekben, innén jő-el itilni eleveneket és holtakat; Es a' szent Lėlekben.

A' kik penig azt mondgyác: hogy ő volt, a' mikor nem volt, avagy minec előtte lenne, nem volt, és mivel a' nem vóltakbol lótt, avagy más állatbol vagy valóságbol mondgyác

gyác lenni, avagy teremtetetnec, avagy Isten Fiává változhatonac, az illyeténeket megátkozza a' közönséges és Apostoli Anyaszentedgyház.

II. C A N.

Az Edgyházi rendről.

